




Institutio Christiani hominis,

<https://hdl.handle.net/1874/427941>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat


**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:


- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

E. qu.
284




3
k






E. qu.
284

" 3000.





INSTITVTO CHRISTIANI HOMINIS,

E 40. 284

AUTHORE IVLIO EPISCOPO
NVMBVRGENSI.



Coloniæ apud Hæredes Iohannis Quentel &
Gervuinum Calenium, 1562.

Cum gratia & priuilegio Cœsareæ Maiest.
in decennium.

Joum Baudell



Chorus of Historical Persons

Cambrian Cyathinae

Centuries of Art & Civilization

Metamorphosis



I quid aliud, certè tria hæc, 3
Symbolum Apostolorum,
Decalogus, & Sacra-
menta Ecclesiæ, ad institutionem
Christiani hoīs sunt cum-
primis necessaria: Symbo-
lum continet doctrinam fi-
dei, sinè qua ad Deum acce-
dere, & salutem impetrare
poteſt nemo. Decalogus
dat bona vitæ precepta, & est illa ipſa quasi lucerna pe- Rom. 5.
dum nostrorum, quam qui sequitur, benè sancte que
viuit, & cauet nè offendat vſpiām, neque incurrat. Sa-
cramenta autem illa sunt quasi vasa, per quæ gratia do-
mini nostri IESV CHRISTI ad nos diuinitùs deriuatur.
Quæ cùm talia sint, ego vt operam, quam possum, Ec-
clesiæ meæ nauem: primò Symbolum, deindè Deca-
logum, postremò Sacra-
menta ipſa aliquantò accura-
tiūs explicatiūs que per traſtabo: vt ex his veluti fonti-
bus populus meus, quæ ad pietatē veram, & ad orationem
benè sancte que viuendi rationem pertinent, haurire
possit. Ac primū de Fide ac Symbolo.

D E F I D E.

C Vm nec deū habere appetitum, nec ad salutē adspi-
rare possit quisquā, niſi credat, de Fide hīc initio
agendū puto, ac nè ambiguitas vocis nobis negotiū Hebr. 11.

A 2 faceſ-

faceſſat, quænam ſit vera illa & Christiana fides, expli-
cabo. Ac mihi quidem videtur ad huius rationem per-
tinere primò, vt credamus Deum vnum eſſe, qui cæ-
lum, terram, & omnia quæ in eis ſunt, creauerit, nec
creare atq; regere definat. Secundò, vt credamus Deo,
& omnib⁹ ijs quæ diuinitus tradita ſunt, aſſentiamur.
Tertiò, vt non ſolūm Deum eſſe, & Deo, ſed etiam in
Deum credamus: hoc eſt, ſpem & fidutiam noſtrām
conferamus: & huic Patri misericordiarum atque to-
tius consolationis, nos totos cōmendemus atq; com-
mittamus. His tribus conſtat plena illa Christiano-
rum fides, cuius iſ fructus eſt, vt hauriat è promiſſis dei
consolationem veram, habeat deo honorem cum ve-
ritatis, tum verò etiam benignitatis ſummæ, in eoque
ſolo glorietur, & ſalutaria Dei dona, & quicquid eſt
bonorum, quæ è vulneribus Christi profluunt, acci-
piat. His ſanè cognitis atque perspectis, de fide in De-
um quisque ſinè errore omni iudicare poterit. Nunc
verò quia Symbolo apostolorum continetur materia
ea, in qua versatur fides noſtra, & quicquid eſt rerum
ſalutarium, quas credere, & à Deo ſperare, atque expe-
ctare debemus: Capita ſingula eiusdē Symboli ſingu-
latim explicabo primū: Deindè, quinam horū viſus
bonus ſit atque ſalutaris, monſtrabo, vt nihil eorum,
quæ vel ad vtilitatem Ecclesiæ noſtre, vel ad officium
in hoc genere noſtrum perteſſent, deſiderari poſſit.

PRI-

PRIMVS ARTICVLVS

5

SYMBOLI:

*Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli
& terræ.*

CREDO.

DEVM verum esse, qui cælum & terram creauit,
& præter hunc nullum, docent scripturæ diuinis-
tis inspiratæ, & hoc quasi fundamentū religionis no-
stræ sacrosanctæ iaciunt. Nam, Audi Israël, Dominus Dent. 6.
Deus noster, Dominus vñus est, inquit Moïses. Item
Hieremias: Dominus autem Deus verus est, ipse Deus Hier. 10.
viuens & Rex sempiternus: ab indignatione eius cō-
mouebitur terra, & non sustinebunt gentes commo-
tionem eius. Sic ergò dicetis eis: Dij qui cælum & ter-
ram non fecerunt, pereant de terra, & de his quæ sub
cælo sunt. Ac quia hoc omnibus nobis Deus est, cui
quisque salutem suā credit atq; committit, necessè est,
vt fidutiam spemq; nostram ab omni re creata seiun-
gamus, & in solum Deum, qui cælum & terram crea-
uit, conferamus: & omne quod expetimus, siue corpo-
ris siue animi bonum, siue temporale siue eternum, ab
hoc ipso exspectemus: atque hoc illud ipsum est, quod
Articulus continet, Credo in Deum patrem omnipo-
tentem, creatorem cœli & terræ: Deus h̄ic nominatur
quidem Pater, idque vt pro distinctione personarum
in diuinis à filio discernatur: Deinde vero etiam vt co-
gnoscamus atque credamus, eundem Patrem esse no-

A 3 strum'

6 strum, qui & velit & possit cum omne aliud bonum, tum salutem æternam nobis dare: est enim potestatis tantæ, ut omnia è nutu eius quasi religata pendeant. Hæc ferè de sensu germano Articuli huius dicta sint. Venio ad usum eius. Nam frustra quicquid est generis huius cognoscimus, nisi idem in usum nobis utilem sanè atque salutarem transferre didicerimus.

VSVS ARTICVL.

Quicquid bonorum expetis, atque ea siue æterna
sint, siue huius vitæ, crede in Deum, spemq; tuam
in eo pone, & id quicquid est, impetrabis atque accipi-
es. Neq; enim dubium est, quin idem & velit tribuere
Deus, cum paterno te amore complectatur, & possit,
cum omnia in ipsius potestate sita sint. Quarè Salomon
Matth. 8.
Proverb. 3. hoc dedit præceptum: Habe fidutiam in Domino ex
toto corde tuo, & nè innitaris prudentię tuę: in omni-
bus vijs tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos:
nè sis sapiens apud temetipsum: time Deum, & recede
à malo: & quod illi, q; spem in Deo, & nō in seipsis col-
locant, bona, quæ sperant, consequantur, eorumque
Iudic. 7. &
2. Paralip. 12. voluntati euentus secundus respondeat, & alia & Ge-
deonis atque Regis Azæ exempla docent. Accedunt
huc promissa diuina, eaque consolationis plenissima.
Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum uni-
Ioan. 3.
Hierem. 17. genitum daret ut omnis qui credit in eum, nō pereat,
sed habeat vitam æternā. Item, Benedictus vir qui cō-
fidit

fudit in Domino,& erit Dominus fidutia eius. Atque 7
vt corde creditur ad iustitiam, ita ore fit confessio ad
salutem: Frustrè enim credideris, nisi idem, quoties
opus erit, confiteare, atque præte feras, vt nomen Do-
mini co magis celebretur.

ARTICVLVS SECUNDVS:

*Et in Iesum Christum filium eius unicum,
Dominum nostrum.*

IN hoc secundo Symboli nostri capite docemur, qd
de CHRISTO IESV DOMINO nostro sentire atq; credere
debeamus: deus hic est, quod testimonio suo Thomas
Apostolus in hæc verba cōprobat: Deus meus & Do-^{Ioan.20.}
minus meus, & vnigenitus atque natura Dei filius, vt
scripture multis in locis, & hic articulus fidem facit: ex
quo etiam illud existit, quod vnius sit cum Deo patre
essentiæ, vnius maiestatis, vnius voluntatis, vnius po-
tentiae, & vnius æternitatis. Itaque res atque officium
nostrū postulat, vt in eum credamus, quo fidei genere
Deus solus colendus est. Hinc illa eius vox: Si creditis ^{Ioan 14.}
in Deum, & in me credite. Atque vt intelligere possi-
mus, quæ ad nos bona ē fonte huius nostri Seruatoris
permanare soleant, id duo eius nomina, quæ in hoc
articulo ponuntur, ostendunt. Nam IESVS appellatur,
quod nos seruet: CHRISTVS autē, quod sit vnḡtus: idq;
vt eum & Sacerdotē & regem nostrum summū agno-
scere possimus. Atq; vt ea, quibus tota hæc ratio pleni-
us per-

8 ùs perspici potest, aliquanto altius repetam, sic habet
tote: Adamum, cum contrà, quam Deus vetuerat, fa-
ceret, & scipsum contumacia ingrata pollueret, graue
peccati labem contraxisse, & in eam calamitatē inci-
disse, ut originalem iustitiam qua præditus erat, amitt-
teret. Quæ cum talis fuisset initio, vt omnia illius re-
cto ordine constarent, atque continerentur, ac infer-
riores animi corporisque vires menti ac rationi obe-
dirent, & fugere malum omne ac bonum facere, & quic-
quid est officij recti ipse explere posset, sublato hoc re-
ctitudinis quasi vinculo, in eodem magna prauitas atq;
peruersitas secuta est: cum non amplius illa inferiora
parerent rationi vt antè, sed tanquam seditioni ciues
tumultuarentur, & rationem veluti Magistratum su-
um, comprimerent. Hinc peccatum originis, & re-
gnum illud cupiditatis prauæ, quod malum, & id quidē
perniciosum, Adamus in omnem posteritatem suam
transfudit. Hinc illud naturæ nostræ vulnus atque ca-
lamitas, vt ab ineunte etate proclives simus ad malum,
& in potestate Sathanæ vt principis huius mundi, quo
vt primos parentes nostros circunuenit callide, ita
omnes eorum posteros in laqueos suos induit, & ea
seruitute oppressit, vt ad veram libertatem respirare
minime possent. Itaque cum ijdem non modò non à
peccatis auertere se possent, sed ex uno crimine in ali-
ud semper ruerent præcipites, & Deum æternum pa-

Rom. 1. &c.

trem

trēm offendere non desinērent: illud quidem impen- 9
dēre videbatur ipsis, vt si in hac conditione miserrimā
morerentur, in gehennam coniecti, æternis tandem
supplicijs mactarentur. Ac cūm omne genus hominū
itā langueret, & tanta calamitate premeretur, nec sei-
pfsum ex ea eripere posset, Deus misertus tādēm operis
sui quod fecerat, consilia pacis, hoc est, hominis cūm
liberandi, tum verò etiam seruandi benignissimè ini-
uit: & quo maius esset beneficium suum erga nos, mi-
sit filium suum vnigenitum è cælo, qui nobis salutem
ipse afferret, & nos è conditione illa calamitosissima
in cōditionem filiorum Dei traduceret.

TER TIVS ARTICVLVS

SYMBOLI:

*Qui conceptus est de Spiritu sancto, Natus
ex Maria Virgine.*

EN tibi filium Dei è cælo delapsum pro admirabili
Dei consilio, idque vt è Virgine homo nasceretur,
& humanam naturam itā susciperet, vt tamē non ab-
ijceret diuinam, sed Deus ipse & homo medium quo-
dāmodò inter Deum & hominem sese gereret, & in-
terpositis suis quasi partibus, hunc illi reconciliaret.
Conceptus quidem fuit è Spiritu sancto, & natus ex
Maria virgine, quorum vtrunque Angelus Dei Matri

B Virgi-

10. Virginī nūc iauērat, cūm hanc mitteret vocem: Nē
timeas Maria, Inuenisti enim gratiam apud deum: Ec-
cē concipies in vtero & paries filiū, & vocabis nomen
eius Iesum: Hic erit magnus, & filius altissimi vocabi-
tur: & dabit illi dominus Deus sedē Dauid patris eius,
& regnabit in domo Iacob in æternū, & regni eius
non erit finis. Dixit autē Maria: Quomodo fiet istud,
quoniam virum non cognosco? Et respondens ange-
lus, dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus
altissimi obumbrabit tibi: ideoq; & quod nascetur ex-
te sanctum, vocabitur filius Dei. In eandem sententi-
am Esaias Propheta: Eccē virgo concipiet & pariet fi-
liū, & vocabitur nomen eius Emanuel, hoc est, nobis-
cum Deus, prout vocem hanc Matthēus Euāgelista
interpretatur. Atq; hæc quidem ratio nascendi è virgi-
ne castissima, fuit Christo domino nostro cum primis
apta. Nam cūm Deus hīc naturam sibi humanam ad-
iungeret, ita eum & concipi & nasci oportuit, vt nullo
peccato inquinaretur: quod vitare nequaquam potu-
isset, si eum Mater è semine viri conceperisset. Quin ta-
lem eum innocentiam ex vtero materno ferre opor-
tuit, vt innocens ipse & omni prorsus peccato vacu-
us, pro nobis nocentibus & grauissimo peccatorum
reatu obstricis, satisfacere Deo patri, eundemque no-
bis placare posset. Atque hoc quantum consolationis
afferat pijs omnibus, qui non intelligit, hic certè ab
omni

Luc. 1.

Esa. 7.

Esa. 53.

omni salutis suæ sensu atque ratione tam remotus est, m
quam qui remotissimus. Sed nunc ad reliqua.

QVARTVS ARTICVLVS

SYMBOLI:

*Pas̄sus sub Pontio Pilato, crucifixus, mor-
tuus, & sepultus.*

VEnimus hoc loco ad Mysterium crucis Dñi nostri Iesu Christi, è quâ benignitatis diuinæ admirabile lumē mentibus nostris affulget. Nam Christus cruciatus, quos perpessus est, acerbissimos nō sua causa, cùm planè innocens esset, sed nostra, vt nostras videlicet peccatorum fôrdes sanguine suo elueret, exceptit. Quin mortem ipse oppetiuit, vt vitam nobis salutemque afferret. Quo beneficio maius ullum non dico esse, sed ne fingi quidē atque excogitari potest. Ipse vulneratus est, inquit Esaias, propter iniurias nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Item Paulus: Ut quid Christus, cùm adhuc infirmi essemus, pro nobis mortuus est? Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori. Cōmendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secūdum tēpus Christus pro nobis mortuus est, idque vt nobis remissionē peccatorū atq; liberationem impetraret. Hinc illa Io-

B 2 annis

12

Iean. 1.

Rom. 6.

2. Pet. 2.

annis vox, cùm Christum digito quodāmodò monstraret: Eccè agnus Dei, eccè qui tollit peccata mundi. Iam quia Christus non solum mortuus fuit, sed etiam sepultus, id etiam in hoc fidei nostræ articulo confitemur. Nam vt nostra causa captus fuit, virgis cæsus, pugnis acriter verberat⁹, & cruci affixus, ac morte tādēm crudelem in modū interemptus, itā etiam nostra causa sepultus fuit, & humatus, vt nos cùm eo sepeliremus, ac peccato mortui, iustitię ac Deo in posterum viueremus. Et quanquam vis hæc sepulturæ Christi rectè tribuitur, eadem tamē etiam ad crucem vt fontem suum non minūs aptè referri potest. Scriptum est namq; à Petro apostolo, Christum ipsum peccata nostra per tulisse in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitię viuamus, cuius liuore sanati sumus. Ex his omnibus est sanè perspicuum, cur Christus tātos pertulerit cruciatus, cur mortem tales tamque ignominiosam oppetuerit, cur denique sepultus fuerit: Primum, vt expiat peccata nostra, & nobis eorundē veniam atque remissionem pareret: Deinde, vt impetraret nobis donum Spiritus sancti, quo nos in nouam creaturam regeneraremur, vt abiecta vetustate carnis, in nouitate Spiritus ambulare possemus. Postremò, vt reconciliati Deo atque iustificati, pacem haberemus ad Deum: & cùm Deo filij adoptati essemus, certus nobis aditus ad eternam hereditatem patéret: vt enim

Moi-

Moïses exaltauit serpente in deserto, ita exaltari oportet Filiuni hominis: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternā, inquit Christus ipse. Num. 21.
Ioan. 3.
Habemus hīc illum ipsum salutis fontem, quem nobis Christus in sanguine suo constituit: vnde omnis, quem peccatorum suorum poenitet, & in hunc Dominum nostrum credit, spemque suam ponit, haurire potest remissionem peccatorum ad reconciliacionem, renouationem Spiritū ad sanctificationem, & adoptionem filiorum Dei ad æternam hæreditatem. Quo triplici bono tota salutis nostræ ratio cōtinetur. Hæc ferè dicta sint de fructibus crucis Christi seruatis nostri, in qua nos sola gloriari oportet. Gal. 6.

QVINTVS ARTICVLVS

SYMBOLI:

Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

Hostes nostri capitales sunt, Peccatum, Sathanas & Mors. Qui sanè quandiu nos captos tenent, & seruitute sua premunt, tandiu ad salutem veram adsprire haud possumus. Itaque nē in re vlla nobis deeslet benignissimus Seruator noster, vt in cruce fregit peccatum, ita etiam Sathanam atque mortem vicit atque compressit, vt nos potestate hostium eorundem liberati, in regnum ipsius transferri, in eoque sempiterno ævo conquiescere possemus. Quam rem, eamq; cum-

B 3 primis

14 primis salutarem, Christus per admirabilem victoriā suam confecit. Nam peccatum, quatenū se fecit peccatum, profligauit: Sathanam autem compressit, quatenū ad inferos descendit, & ex horum quasi fauci- bus captiuos eripuit, atq; hos adeò hostes principatu & potestate illius spoliauit ac diripuit: Mortem verò vicit eatenū, quatenū suapte vi, eaq; diuina, è mortuis reuixit; & quia resurrectiōe sua eiusdem mortis vincula disruptit, non solū regnum suū cōstituit preclarè, sed etiam de hostibus huius gloriofissimū triumphū egit. Ex his constat, quantum nobis cōsolationis sit in Christo rege illo gloriæ immortali. Quippe cùm non solū in eo & per eum peccato atq; Sathanē resistere, sed etiam cum eo resurgere, & iustitiæ reuiuiscere possumus. Est em̄ mortuus propter peccata nostra, & propter iustificationem nostrā resurrexit, vt scriptum est ab Apostolo. Nam simulac hominem pœnitet peccatorū, in quæ incidit, & eo animo est, quod hæc in posterū vitare velit, mori hīc videtur peccato: & quatenū in Christū credit, cùm eodē domino resurgit atq; reuiuiscit, idq; vt nō solū cōditione sit filius dei, sed etiā quatenū charitate ducitur, animo, volūtate, atq; affetu, nihilq; caueat magis, q; nè patrē hūc eternum atq; benignissimū contumacia sua improba offendat.

SEXTVS ARTICVLVS SYMBOLE:

Ascēdit ad cælos, sedet ad dexterā Dei patris omnipotētis

Vbi

VI Christus in hac terra expleuerat omnia, quæ

15

ad nos redimendos & in statum salutis restituendos necessaria essent, ascendit in cælum, & ad dexteram Dei patris consedit, idq; ut honorem, gloriam, atque magnificetiam regni sui declararet, & nobis fratribus atq; cohæredib^o suis viam in cælum muniret: id quod euenturum esse, hac sua diuina promissione ostendit,
Ioan. 12.
Vbi ego sum, ibi & minister meus erit. Et quia in cælo summa atque sempiterna est felicitas, certè Paulus pro desiderio quo ardebat cælestis patriæ, hanc misit vocem: Cupio dissolui & esse cum Christo. ac quô nos minùs à felicitate æternæ vitæ arceamur, eam certè in hac vita peregrinationis nostræ quodammodo inchoari oportet, vt tandem in eterna patria perficiatur. Nam vt Christus surrexit & in cælum ascédit, ità nos cum eo, ac per eum resurgere, & quicquid mentis, voluntatis, atq; cogitationis habemus, in cælum ferre, & quoâd eius fieri potest, à mundo nosipsose iungere, & nihil æquè à cælestia sapere, cogitare, atq; expetere debemus. Quicunq; ità cum Christo & per Christū in cælum ascendunt, eosdem carnem suam lasciuam coercere, atque mortificare necesse est, vt viuant benè sancteque, & quæ sursum sunt, vbi Christus est ad dextram Dei sedens, querant, seq; in hunc Dominum nostrum planè abdant. Ac quia Christus non solùm in cælum ascendit, sed etiam ad dextram Dei confedit:
Philip. 1.
statui.

statuitur documentum, eum quām semel suscepit curram nostrā non abieciisse, sed esse etiamnū aduocatum atq; pontificē nostrum, idq; secundūm ordinem Melchisedech, & in hoc semper apparēre vultui Dei, vt quā nobis in cruce bona salutaria peperit, ea quotidiē ad nos singulos deriuētur, & nobis distribuantur. Et cū ad dexteram Dei sedeat, intelligitur etiam eundem esse æqualis cum Deo tum diuinitatis tum potestatis: vt dubitare non possimus, nobis eo plus præsidij in pontificatu eius atq; regno positum esse, quod non solum velit pro sua summa clementia succurrere nobis, sed idem etiam, quia omnipotens est, possit.

SEPTIMVS ARTICVLVS

SYMBOLI:

Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

EX his quos explicauimus, Articulis fidei nostræ est sanè perspicuum, Christum & expiāsse peccata nostra, vt veniam consequamur peccatorū, & donum Spiritus sancti impetrāsse, vt eo præcordia nostra repurgētur, & nos à peccatis auersi, bona quā Deus precepit, expetamus, & omni opere atque actione bona abundemus. Quod ipsum voluntas Dei aperta à nobis postulare videtur. Est enim scriptum, Etsi saluati per fidem, & hoc non à vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, vt nè quis gloriatur: ipsius enim sumus factura,

factura, creati in Christo in operibus bonis, quæ præ- 17
parauit deus, vt in illis ambulemus. Item, Apparuit em
gratia Dei & Saluatoris nostri omnibus hominibus,
erudiens nos, vt abnegátes impietatem ac secularia de-
sideria, iustè, sobriè ac piè viuamus in hoc seculo, ex-
pectantes beatam spem & aduentū gloriæ magni Dei
& saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum
pro nobis; vt nos redimeret ab omni iniquitate, &
mundaret sibi populum acceptabilem, fœstatorem bo-
norum operum: hæc loquere & exhortare, & argue
cum omni imperio. Nemo te contemnat. E quibus
intelligitur haud obscurè, Christum nos redemisse, &
e seruitute veteri in libertatem vendicâsse, non vt car-
ni, sed vt spiritui obediamus. Nam debitores sumus
non carni: Etenim si secundùm carnem vixerimus,
moriemur: Si autem Spiritu facta carnis mortificaue-
rimus, viuemus, inquit Paulus. Quo minùs contuma-
ces illi, qui nec resipiscunt verè, nec vitâ mutant, apti
sunt ciues regno Christi. Nam hoc regnum non est
filiorum veteris Adami, sed filiorum Dei, qui eundem
Adamum exuerunt, & in nouitate Spiritûs iam vi-
uunt. Quæ cùm ità sint, deus æternus Pater Christum
Dominum nostrum non solùm redemptorem dedit
nobis, sed etiam iudicem constituit viuorum & mor-
tuorum, vt reddat cuique secundùm opera quæ fecit:
bonis & regni sui ciuibus decernat præmia bona, im-

Rom. 8.

C probis

18 probis autem & à regno suo alienis supplicia peracerba: atque iudicium hoc suum idem Christus cum magna potentia atq; maiestate exerceat, de quo & in hoc Articulo & in Euangeliō secundūm Matthēum Chri-

Matt. 25. stus ipse in hæc verba: Cùm autem venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem Maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes: Et separabit eos ab iniucem, sicut pastor segregat oves ab hœdis: & statuet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Tunc dicit Rex ijs, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi māducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus, & visitāstis me: in carcere eram, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quandò te vidimus esurientē, & pauimus? sitientem, & dedimus tibi potum? quandò autem te vidimus hospitem, & collegimus te? aut nudū, & cooperuimus te? aut quandò te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens Rex, dicet illis: Amèn dico vobis, quandiù fecistis vni de his fratrib⁹ meis miminis, mihi fecistis: Tunc dicet & ijs qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi

mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi potum: 19
hospes eram, & non collegistis me; nudus, & nō ope-
ruistis me: infirmus & in carcere, & non visitâstis me.
Tunc respôdebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quan-
dò te vidimus esurientem, aut sitientē, aut hospitem,
aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non mini-
strauimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amèn
dico vobis, quandiu nō fecistis vni de minoribus his,
nec mihi fecistis: & ibunt hi in supplicium æternum,
Iusti autem in vitam æternam. Nec ijs qui damnan-
tur, fit iniuria dum corpore & animo in gehennam
conijciuntur, & ibi æternis supplicijs maſtantur, cùm
qui in quo iacuerunt peccatorum cœno volutare fe-
ſe, quam Christo ſe applicare, atque iustitię viuere ma-
luerint. Quo magis cauere debemus, nè non finem
male turpiterque viuendi faciamus. Quin id operam
demus potius, vt ſalutem nostram cum timore & tré-
more operemur, vt Paulus grauiter ſanè monet. Cogi- Philip. 2.
tent homines boni, vt eo diligentius caueant, nè à fa-
lutis ſtatu decadant. Cogitent mali, ſeq; periculo ſuo
excitari patientur, vt reſipificant tandem, nè ſi Christi
ſanguinem factis ſuis prauis cōtumelia afficere, & pe-
dibus quodammodo conculcare non defierint, in ex-
tremo iudicio audiant cum hœdis hanc perhorreſcen-
dam, ſed tamen iustum Christi vocem atque ſen-
tiam: Discedite à me maledicti in ignem æternum. Et Matt. 25.

C 2 quan-

- 20 quanquam omnis quicunque in ultima hora vita
a peccatis in viam reddit, & ad Deum conuertitur, fide
accipere remissionem eorundem peccatorum & æter
nam vitam consequi potest, vt sanctus ille latro ex
Lucæ 23. emplo suo comprobauit, & eam ob causam nemo
quanius sceleratus, desperare debet: tamen cum nihil
certius sit nobis, quam ut semel moriamur, & hora
mortis incerta sit, semper vigilare, & in nouitate Spi
ritus viuere debeamus, ne cum forte Dominus ex hac
vita euocauerit nos, imparati inueniamur, & non so
lum regno cælorum excludamur, sed etiam in gehen
nam detrusi, sempiternis cruciatibus afficiamur: vt ni
Matt. 25. hilo melior sit conditio nostra, quam virginum fatua
rum, quæ, quod habere debebant, oleum in lampadi
bus suis non habebant, atque ita opportunitatem in
regnum cælorum introcendi cum sponso amitterebant.
Verum ut Christus in extremo iudicio improbos atq;
iniustos damnabit, ita bonos ac iustos præmijs æter
2. Cor. 5. nis afficiet. Omnes enim nos (inquit Paulus) manife
stari oportet ante tribunal Christi, vt referat unusquis
que propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue
malum: ac tum quidem Deus corpora iustorum diuer
sis gloriæ generibus ornabit. Ut enim stella a stella dif
1. Cor. 15. fert in claritate, ita etiam corpora hominum in resur
rectione mortuorum. Hæc ferè sunt, quibus Articu
los fidei de Christo Domino nostro explicando pu
taui-

tauimus, & speramus fore, vt cognitis his, Christus
plenè in præcordijs nostris ac facile formetur. Nunc
verò de vfu eorum, quæ de Christo tradita sunt, agam,
vt gustare, quām suavis sit idē Dominus, & veros atq;
solidos ex eo salutis fructus capere possimus.

VSVS ARTICVLORVM SYM-
BOLI DE FILIO DEI, DOMINO NO-
STRO IESV CHRISTO.

Constat ex ijs, quæ posuimus, Christum factū esse
nobis iustitiam, sanctificationem, redemptionē,
vitam & resurrectionem, vt quicunque gloriatur, in ^{1. Cor. 1.}
hoc Domino nostro glorietur. Nam sanguis eius im-
^{2. cor. 10.}
petrauit nobis remissionem peccatorum ad reconcili-
^{Hier. 9.}
ationem, renouationem Spiritū ad sanctificationem
atque iustitiam cordis, & adoptionem filiorum Dei
ad ius æternæ hæreditatis. Quin nobis in regno illius
esse præsidium salutare contra peccatum, mundū, atq;
Sathanam, quibuscum nobis perpetuum est bellum.
Breuiter ex hoc Domino atque Seruatore nostro tota
salutis nostræ ratio quasi religata pendet. Neque enim
(vt Petrus in Actis Apostolorum ait) aliud est nomen ^{Act. 4.}
sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos sal-
uos fieri. Itaque si conscientia peccati te premit, & ex-
petis veniam, si expetis iustificationē & quicquid est
virtutis Christiane, si expetis opem & præsidium con-

22 tra carnem tuam & dēmonem, qui circumit tanquam
leo rugiens, querens quem deuoret: si denique vitam
atque salutem aeternam expetis, cōfuge ad Christum,
& crede hunc esse eternū filium Dei, qui in mundum
venit, vt peccatores saluos facheret: crede eundem sibi
humanam naturam adiūxisse, & natum fuisse ex Ma-
ria Virgine, idque sine omni labe peccati originis, vt
ipse innocentissimus peccata nostra sanguine atque
morte sua expiare, pro eisque satisfacere posset: crede
passum etiam fuisse sub Pontio Pilato, & crucifixum,
& quatenus peccata nostra in se transtulit, atque por-
tavit in ligno, eatenus eum innocentiam suam ac iu-
stitiam communicasse nobiscum, vt veniam pecca-
torum nostrorum consequeremur. Crede item eundē

Rom. 6. istum Dominum pro nobis mortuum atq; sepultum
fuisse, vt nostrę cupiditates prauę cum eo morerentur
atque sepelirētur, & dominandi potestatem in nostris
mortalibus corporibus amitterent. Crede Christum
nostra etiam causa ad inferos descendisse, vt dēmones
& potestates tenebrarum comprimeret, atque ita de-
bilitaret, vt nos eisdē resistere possemus. Crede Chri-
stum reuixisse suapte vi, eaq; diuina, ē mortuis, vt nos
iustificaremur, & abiecta vetustate carnis, in nouitate
vitę per Spiritum sanctum, qui in cordibus nostris dif-
funditur, viuere, & vt decet bonos atque sanctos fili-
os, cogitationem nostram in deo aeterno patre in per-
petu-

petuum defixam habere possemus. Crede Christum 23
nobis sua morte atque resurrectione salutari vitā eter-
nam peperisse. Crede Christum in cælum ascendi-
se, vt nobis, quotquot mēbra eius sumus, viam in eter-
nas illas sedes patefaceret, atque illic eum consedisse
ad dexteram Maiestatis, vt aduocatus noster sempiter-
no æuo esse posset. Nam fungens ipse sacerdotio illo
suo secūdūm ordinem Melchisedech, appáret vultui Heb.6.
1. Ioan. 2.
Dei, vt quotquot per eum adeunt deum, salutem con-
sequantur. Crede Christum venturum esse tandem in
magna maiestate, vt iudicet viuos & mortuos, & in
hoc iudicio boni prēmijs æternis afficiantur: mali au-
tem ad æterna supplicia condemnentur: atq; ità vnus-
quisq; hominum, prout gessit in corpore, referat, siue 2. Cor. 5:
bonum, siue malum. In hunc modum Christum atq;
beneficia eius mente ac fide compræhendere, & in eo
fidutiam spemque nostram ponere, ac misericordiæ
diuinæ nos totos cōmittere debemus: quod quicunq;
facit, eius nec fides, neque spes fallitur. Scriptum est
enim à Petro Apostolo de Christo: Eccè ponā in Ziō 1. Pet. 2.
lapidem summū, angularem, probatum, electum, pre-
ciosum: & qui crediderit in eum, non confundetur:
vobis igitur credentibus honor, non credentibus au-
tem lapis, quem reprobauerunt edificantes, hic factus
est in caput anguli, & lapis offensionis & petra scanda-
lijs, qui offendunt verbo, nec credunt, in quo & po-
siti

24
Ioan. ii. siti sunt. Accedat illud Christi ipsius: Ego sum resurrec-
tio & vita. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit,
vivet: & omnis, qui vivit & credit in me, non morie-
tur in æternum. Ex his omnibus constat, quām & utile
sit & necessarium cuique nostrū, cognoscere Chri-
stum, credere in eum, atque ipsi ita adhærere, ut se ab eo
nunquām auelli patiatur.

O C T A V V S A R T I C V L V S:

Credo in Spiritum sanctum.

Matt. 28.
Venio ad Spiritum sanctum, qui est tertia in diui-
nis persona, eaque Deo patri ac Filio æqualis, ut
Christus ipse testatur, cum ait: Baptizate eos in nomi-
ne Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Vbi Spiritus sancto
par potestas & gloria, atque Patri & Filio tribuitur. Quo
minus dubitare debemus de Diuina eius natura. Et
quamquam personæ Trinitatis sanctæ tres atque distin-
ctæ sunt, unus tamen est Deus secundum substantiam,
prout hæc eius substantia in partes distrahi minimè po-
test. Quapropter unum Deum in Trinitate, & Trinita-
tem in unitate colere atque venerari debemus, idque
pro ea, quam Symbolum Athanasij prescribit, ratione.
Cum igitur Spiritus sanctus nihilominus, quam Pater
& Filius, Deus est, & huic par, atque Patri & Filio, ho-
nor est habendus: fit, ut in eundem etiam, quemadmo-
dum hic positum est, credere, & nos ei totos tradere
atque

atque committere debeamus. Atq; vt cognoscere pos- 25
fitis, quos & quantos fructus nobis hic idem Spiritus-
sanctus afferat, sic habetote: Deum patrem per Filium
in Spiritus sancto omnia creare, regere, atque modera-
ri, & nos in hoc per Filium ad Patrem venire & quo-
dammodo trahi. Ut enim Deus pater nos adiuuat per
misericordiam suam, & filius per sanguinem suum ac
crucem, ita Spiritus sanctus afflatu suo & communi-
catione eorum, quem largitur, bonorum tribuit primò,
vt qui pro corrupta natura nostra & tenebris, quibus ^{Ioan. 14.}
inuoluti sumus, non percipimus, quae Spiritus sunt, & ^{15.}
beneficio ipsius eadem ipsa cognoscamus. Secundò,
vt qui ad malū ab ineunte etate proclives sumus, men- ^{Genes. 8.}
te renouemur. Nam hic Spiritus sanctus excitat poe-
nitentiam, ingenerat fidem & spem, iustificat nos, &
ad omnem benè sancteç; viuendi rationem aptos fa-
cit, accedit charitatem, tribuit timorem filiorum dei
proprium, habitat idem Spiritus in nobis per fidem &
charitatem, & omnibus donis bonis nos mirabiliter
ornat, & in templum dei quodammodo cōsecrat. Quin ^{2. Cor. 3.}
idem est nobis arabo hæreditatis æternæ, & veram ac ^{Gal. 1.}
^{Rom. 8.} plenam adfert consolationem, quatenus dat testimo-
nium Spiritui nostro, quod simus filii Dei: breuiter
quicquid boni vel facimus, vel volumus, vel cogita-
mus, id omne ab eodem Spiritu proficiunt: Qui nobis
etiam Scripturam peperit, & Sacramentis, nè inania ^{2. Tim. 3.}

Dicitur sint,

26 sint, vim salutarem adiungit. Hæc omnia de Spiritu-
sancto ita credenda sunt, ut dubitemus minimè quin
ipsa verissima sint, & in usum nostrum ad eum, qui se-
quitur modum, transferenda.

V S V S A R T I C V L I D E
S P I R I T U S A N C T O .

CVM cogitationes nostræ bonæ, opera bona, fi-
des, item spes, charitas, gaudium, pax, æquanimi-
tas, bonitas, temperatia, sanctitas, iustitia, & quicquid
est bonarum virtutum atq; actionum, fructus sint Spi-
ritus sancti, quas ipse non solum largitur, sed tuetur
etiam atque auget: certè quicquid harum rerum expe-
timus, confugere ad Spiritus sanctum, & fidem spemq;
nostram in eo ponere debemus. Quod si fecerimus,
hic nobis in tribuendis illis ipsis bonis haud deerit,
cum præsertim idem Spiritus in præcordijs credenti-
um habitat, eademque regat, & ad virtutem omnem
formet. Sic igitur credamus, & persuadeamus nobis,
quicquid in nobis virtutis est & boni salutaris, id omne
donum esse Spiritus sancti: atque ut sine misericordia
DEI atque merito Christi, ita nec sine communicati-
one Spiritus sancti quenquam nostrum aut iustifica-
ri, aut bene sancteque vivere, aut ad æternam salutem
adspirare posse. Quare in hunc eundem credere, nosque
ei committere debemus, & non sine magno fructu
possimus.

N O -

NONVS ARTICVLVS

Ecclesiam Sanctam Catholicam, Communione Sanctorum.

27

Ex proximo articulo Symboli cognouimus Spiritū ^{1.cor.6.} sanctum habitare in Christianis, si qui probi sunt, ^{2.Cor. 6.} & horum singulos in templum suum quodammodo consecrare: Qui ita contrahit in vnum Christianos omnes, vt constituant vnam domum, quę est Ecclesia Dei viuētis, & corpus vnum, cuius Christus caput est. In quo ipso non solum homines viui, sed etiam angelī & beati mortuorum spiritus sociantur. Etenim per ^{1.Cor. 2.} Ephes. 4. sanguinem Christi omnia, quę in celo & in terra sunt, inter se cōciliantur atque iunguntur, vt scriptum est ab Apostolo. Ac quia Spiritus sanctus complectitur ac fuet Ecclesiam hanc ^{Col. 1.} yt templum suum, certè more suo eam purgat atq; sanctificat, idque per lauacrum aquæ ^{Ephes. 5.} in verbo vitae. Nam quatenus Baptisma omnes peccatorum sordes abluit, etenus nos Ecclesiae atque huius quasi corporis Christi membra atque ciues facit. Itaque Ecclesię in hoc articulo tribuitur quod sit sancta. Atq; vt hæc habet caput vnum, quod est Christus, & vnum Spiritum: ita & vnum est corpus Christi & templum Spiritus sancti: Vnica nimirum illa columba, de qua in Canticis Cantorum: ac quia charitatis spiritu hæc ducitur, ipsam etiam consentientem esse oportet. Quare Christus eandem aeterno patri paulò ante quam mor-

D 2 tem

28 tem oppeteret, in hęc verba commendauit: Sancte pa-
Ioan. 17. ter, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint
vnum sicuti & nos. Apostolus autem: Obsecro autem
Ephes. 4. vos ego vincitus in Domino, vt dignę ambuletis voca-
tione, qua vocati estis, cum omni humilitate & man-
suetudine, cum patientia supportates inuicem in cha-
ritate, solliciti seruare unitatem Spiritus in vinculo pa-
cis, sicuti vocati estis in una spe vocatiois vestrae: unus
dominus, una fides, vnum baptisma, unus Deus & pa-
ter omnium, qui super omnes, & in omnibus nobis.
E quo ipso admirabile lumē benignitatis diuinę men-
tibus nostris affulget: Quippe cum Christus non solū
redemerit nos, sed etiam ad quandam Dei similitudinem
coniuxerit, vt quemadmodum hic cum Patre &
Spiritu sancto unius est essentiae, immō vnum, ita nos
voluntate ac sensu vnum simus. Huius coniunctionis
tanta debet esse vis, vt nihil accidere possit uni mem-
brorum Ecclesie, quod ab alijs sit seiuictum. Hinc illud
Paulinum: Sed Deus temperauit corpus, ei cui deerat,
abundantiorem tribuendo honorem, vt non sit schi-
fma in corpore, sed in id ipsum pro inuicem sollicita sint
membra: & si quid patitur vnum membrum, compa-
tiantur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum,
congaudeant omnia membra. Tanta item eiusdem
coniunctionis esse debet vis, vt non modō non discre-
pemus sensu, sed idem etiam & sentiamus omnes &
loqua-

Ioquamur. Neque enim ignotum est illud Apostoli: 29
Obsecro autem vos fratres per nomen domini nostri Iesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint inter vos schismata: Sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem sententia. In hac vna & ita consentiente Ecclesia cubat atq; pascit Christus, & Spiritus sanctus tanquam in templo suo viget: vt facilè appareat, extra hanc Christum inuenire, Spiritum sanctum accipere, & salutem cōsequi posse neminem, idq; certè nihilo magis, quam extra Arcam Noë tempore inundatiōis nullus mortalium seruari potuit. Ut enim nullus erū, qui è Christo tanquam capite non hauriunt Spiritum vestram, Deo viuere & ad salutem æternam adspirare potest: ita idem consequi non sanè nullus potest, qui non sit membrum viuum eius corporis Christi, quod est Ecclesia: cum pr̄sertim dona dei salutaria nec aliud est, quam à Christo capite nostro permānet, nec in aliud membrum, quam quod proprium est eius corporis, fluant. Itaq; sic prorsus existimandum est, si forte plures existant hominum cōetus, & iij quidem inter se pugnantes, quorum singuli Christum in ore habeant, & sibi autoritatem Ecclesiæ vendicent, non plures tamen quam ynam veram atque germanam esse posse Ecclesiam, in qua Christo viuere queamus. Quarè necessarium est nobis, non solùm nōsse quòd sit Ecclesia vna quedam, cōsentiens, atq; Christiana, sed etiam

30 quid eius propriū maximē, quo ab alijs cōtibus, ijsq; peregrinis discernatur: Idque, vt cūm vitare cōtus alīenos, tum in illius quasi complexu perpetuō hāre-re possimus, nec ab ea vlo vnquam tempore nos diuelli patiamur. Qua in re vt nobis probē caueretur, Apostoli voluerunt Ecclesiam Christianam, de qua in hoc articulo agitur, non solūm Sanctam esse, sed etiā Catholicā: Catholicā inquā, hoc est, per totū orbē terrę fusam. Quod vnū Ecclesiam verā ab alijs cōtibus in ijs, quae ad Religionem pertinent, disiungit maximē: Cūm pr̄sertim Spiritus sanctus in scripturis tribuat Ecclesię, vt sit magna, & per totū orbē terrę fusa. Nam Dauid in libro psalmorū ait: Postula à me, & dabo tibi gentes hāreditatem tuam, & possessionem tuam ter-

Psal. 2.

Marth. 8. minos terræ. Et Christus ipse: dico autem vobis quod multi ab Oriente & Occidente veniēt, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cælorum. quibus oraculis Diuiniſ vt euentus respondeat, certe vt Ecclesia magna & Catholica esse cœpit, ita nec hoc tempore magna atq; Catholica esse desinit: Etsi enim Mahometana lues eandem in Asia olim extenuauit atque afflixit, tamen vt hoc quasi damnum sarciretur, non ita multo post magnarum gentium atque nationum accessiones ad eam in alijs orbis terræ partibus factæ sunt, cūm ad religionem Christi conuerterentur: ac nostra quidem & patrum nostrorum memoria

Insulæ

Insulæ & r̄giones aliquot magnarum gentium per
Euangelium domini nostri Iesu Christi ē tenebris er-
rorum creptæ sunt, & in regnū filij dei translatae. Con-
stat igitur liquidò, Ecclesiam Catholicā ab eo tempore
quo primūm constituta fuit, nunquām concidisse, &
stare etiam nūm, vt, si quis cōtradicat, aut impudens sit,
aut planè incogitans. Eōdem accedit, quòd qui Spir-
ituſſanctus in scripturis & Symbolo tradit Ecclesiā esse
Catholicam, idem etiam perennem atque perpetuam
ostendit, ità vt non possit nō esse vetus, cùm Christus
ipſe ſe cum ea viſq; ad consummationē ſeculi futurum
effe ſanctissimè promiserit. Cui aut hominum ſocie-
tati Christus p̄aſtò eſt omni tēpore, quid ei ad veram
atq; perennem Ecclesię rationē deeffe potest? an hanc
Spirituſſanctus non fouet, regit, & in omnē ducit ve-
ritatē? an hic eandē interire vnq̄ ſinit? Quarē cùm De-
ecclesiā ſuā ita cōſtituerit, vt ſit Catholicā, & nō ſolūm
Catholicā, ſed etiam perennis, certē Ecclesię verā atq;
Christianę ſignū certū, quo ab alijs cōtibus diſcerna-
tur, eſt, vt ſit magna, perpetua & vetus. Ac quo minūs
hōſtes Ecclesię nobis p̄eſtigij ſuis impanere poſſint,
ſi quos hominum cōetus cognouerimus aut anguſti-
ores effe aut recentiores, quām vt Catholicī & veteres
effe poſſint, hos fugiāmus: p̄aſertim ſi viderimus eos
ex alio aliquo vetuſiore, qui Christum conſitetur,
exiuiſſe, ſequē ab eo quodammodo auſliſſe.

Matt. 28.

De

De quo ipso ità Ioannes in Canonica sua: Exierunt
 cœtum nos sinè grauissimo salutis periculo adiunge-
 re possumus, ità cauere debemus, nè ab vna illa socie-
 tate, quæ Christum confitetur, & alijs omnibus ma-
 gningudine hominum atque vetustate temporis ante-
 cellit, distrahi patiamur, cum præter hanc vnam nulla
 esse possit alia vera atque germana. Hęc cùm talia sint,
 vt non solùm mente, sed etiam sensu compræhendi
 possint, est profectò quamobrem deo immortali gra-
 tias agamus, quòd hoc signorum genere, eoq; tam cer-
 to atque perspicuo, Ecclesiam suam ab alijs hominum
 societatibus, ijsq; peregrinis, distinctam voluerit: etc-
 nim si villo vñquam tempore, certè in presenti cautio-
 ne opùs est magna, nè errore opinionis ducti, à vera
 Ecclesia nos abduci, & cœtibus alienis, in quibus salu-
 tem consequi potest nemo, aggregari patiamur, præ-
 fertim in tanta opinionum atque sectarum varietate,
 vt mihi quidē videatur tempus illud iam venisse, aut
 breui venturum esse, quod Christus ipse in hæc verba
 prædixit: Surgent enim pseudochristi & pseudopro-
 phetae, & dabunt signa magna & prodigia, vt in erro-
 rem inducantur (si fieri potest) etiam electi: Eccè præ-
 dixi vobis. Si ergò dixerint vobis, eccè in deserto est,
 nolite exire: eccè in penetralibus, nolite credere. Sed
 de ijs, quæ ad Ecclesiam pertinet, finem faciam, si hoc
 tan-

tantum, quod nos cognitum habere interest nostra,
addidero, nimirum Ecclesiam, de qua in Articulo hoc
nostro agitur, sanctam esse, quatenus baptisatae sa-
cro consecrata est & repurgata: sed ita tamen, ut con-
cedamus vnam & eadem hanc non solum bonos, sed
etiam malos complecti. Nam Euangelium comparat
hanc reti, quod bonos ac malos pisces comprehedat:
Matt. 13.
Boni sunt, qui Spiritu ducuntur, & sancte benèq; vi-
uunt, inter quos est sanctorum communio, (cuius
etiam in hoc articulo mentio fit) ut quæ singuli habent
bona, ea omnibus conducant. Mali autem, qui post Ba-
ptisma in peccatum lœtale reciderunt, & secundum car-
nem viuunt, & quanquam à Spiritali illa sanctorum
communione remoti sunt, nec ullum ex ea fructum
capiunt, tamē ab ecclesia externa nequidem diuulsi sunt
atque præcisi, sed harent adhuc in hac, tanquam ergo
ta mēbra in corpore humano. Et quia duplex est com-
munio Ecclesiæ, altera spiritalis, quatenus unum hau-
riunt spiritum omnia eius membra: altera vero exter-
na, quatenus idem verbum Dei audiunt omnes illi, &
Sacramētis eisdem, quibus Christo iterum inseri que-
ant, vtūtur: certè qui lœtalib⁹ peccatis inquinati sunt,
et si spiritali communione quæ salutem continet, ca-
rent, tamen externa non carent: sed per hanc in alte-
ram illam, eam quæ salutarem, restitui possunt, nisi for-
tē iustis de causis per sententiam excommunicationis

E ab

34 ab utraque Ecclesiæ communione distracti sint. Quo
deterior est schismaticorum atque hæreticorum con-
ditio, quorum scelus tantum est & tam graue, vt antè
etiam quam à iusta Ecclesiæ potestate damnentur, sci-
psos condemnent, & nisi in viam redeant, suo quo-
dammodo iudicio pereant. Nam vt Paulus ait, hære-
ticum hominem post vnam & secundam correptio-
nem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi
est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemna-
tus: neq; id iniuria. Nam cum laceret Ecclesiam Chri-
sti, atq; eandem contumelia graui afficiat, certè ex hac
ipsa se culpa sua ejicit, nec dignus est qui in vlla eius
parte hæreat. Quin talis est, tamq; calamitosus, vt tan-
quam præcismum quoddam à corpore humano mem-
brum, in hoc statu suo ad suam ipsius perniciem pu-
trescat, & funditus intereat. Quanto igitur magis schi-
sma atque hæresin vt pestes grauissimas fugere, tanto
diligentiùs Ecclesiæ Catholicæ societatem perpetuò
colere debemus: si modò eam, quam debemus, cum
officij nostri, tum verò etiam salutis rationem habe-
mus. Sed haec tenus de sensu Articuli, nunc de vsu.

V S V S A R T I C V L I .

Constat, Ecclesiam Christianam non in vnum aut
alterum locū orbis terræ inclusam, sed per totum
potius orbem fusam, atq; ita Catholicam esse, nec nu-
per

pér natañ, aut interrūptā vnquam, sed perennē planè 35
atq; perpetuam: vt eadem se non possit non magnitu-
dine sua ac vetustate commendare, nec dissentientem
hanc esse, & plures cōetus, eosq; inter se de Religione
discrepantes, continere: sed vnam tantum esse, atque
vnius cōetūs societatem planeque concordem. Huic
ac tali qui adiungit se, tanto minùs in diligenda ve-
ra atq; germana Ecclesię societate errat, quanto qui ab
hac diuellitur, & alijs hominum cōetibus aggregatur,
à salute æterna est remotior. Quarè veterem illam atq;
Catholicam Ecclesiam, in qua quotquot quinquage-
simum ætatis annum excessimus, Christo renati su-
mus, credite solam esse Ecclesiam eam, in qua salutem
consequi possitis: nec audite pestiferas eorū voces, qui
ab hac vos ad cōetus alienos, & ab hac dissentientes
auocare conantur. Tantum nanq; abest, vt his sinè pe-
riculo salutis vestræ obtemperare possitis, vt si fortasse
cum cōetu aliquo à veteri atque Catholica Ecclesia
alieno sitis coniuncti, nisi ab hoc in illā reuocati fue-
ritis atque restituti, non sit, quamobrem saluti vestræ
non desperetis. Ac nè exemplum de re tam necessaria
requiratis, conferte Anabaptistarum cōetum cum so-
cietate eorum, qui Baptisma infantium defendunt: &
cognoscetis hanc magnitudine & vetustate temporis
gregem Anabaptistarum longo interuallo antecelle-
re, cum præsertim hic in angulis nescio quibus, ijsque

36 angustis latitet, illa autem per totum orbem terræ fusa sit: Et hic item nupèr ortus sit, illa autē antiqua, è qua etiam Anabaptistæ ipsi prodiérunt. Igitur quia cernitatis hīc à sententia eorum, qui Baptisma infantium defendunt, stare Catholicam & sanctam vetustatem, ab Anabaptistis aut̄ minimè: certè ab his tanto vos magis remouere debetis, quanto minùs, nisi cum illis idem senseritis, Catholici atq; verè Christiani esse poteritis. Par ratio est discernendi Catholici atq; Christiani dogmatis, ab omnibus alijs schismaticorum atq; hæreticorum cōmentis, vt statuere possitis, quid vos in tota hac ratione sequi, quidve fugere oporteat.

DECIMVS ARTICVLVS:

Remissionem peccatorum.

QVa via & ratiōe Christus nobis sanguine suo remissionem peccatorum impetraverit, suprà docuimus. Quandò autem remissio horū est vñus è præcipuis crucis atque mortis Christi fructibus, postulat ratio salutis nostræ, vt hunc eundem benè cognoscamus, & in vsum nostrum quām possimus diligentissimè transferamus. Nam peccatū diuidit inter Deum & hominē, est aculeus mortis, & perniciē affert æter*1. Cor. 15.* nam, vt scriptum est diuinitū. Quarè non antè nobis introitus in cælum aperitur, quām idem peccatum *Esaia 49.* nobis condonatum sit, & hic quasi aculeus mortis fractus.

ctus. Et quia Spiritus sanctus extra Ecclesiam Christianam atque Catholicam nihil eorum, quem largiri solet, tribuit, nec peccatum extra eandem remittit: certè hic articulus Symboli, priori de Ecclesia recte subiungitur, ut cum credamus Ecclesiam nos habere, in qua Spiritus sanctus vigeat, certè nos, quotquot eiusdem Ecclesiae ciues sumus, in hac veniam, reconciliationem, & vitam æternam consequi posse minimè desperemus. Ac quoties venia egemus, toties ad Christum, qui sanguine suo hanc nobis impetravit, confugiamus necessè est. Quod omnibus, quos peccatorum suorum pœnitentia, salutare esse, & veram in Domino consolationem afferre solet. Neque enim ignotum est illud Petri de Christo: Huic omnes prophetæ testimonium A&e.10. perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.

V S V S A R T I C V L I .

NO S quidem in hac vita peregrinationis nostræ labimur quotidiè, & in multis offendimus omnes, Iac. 3. & quāquam mortalí peccato vacui esse possumus, finè 1.Ioan. 1. veniali tamè non viuimus. Quarè siue illud, siue hoc, siue utrumq; nos inquiet, egemus misericordia Dei, ac peccati eiusdem veniam atque remissione. Cuius quidem rei cum sanguis Christi, qui est expiatio pro 1.Ioan. 2. peccatis totius mundi, nobis spem haud dubiam ostē-

E 3 dat:

38 dat: credere debemus eam nos cōsecuturos esse, simul-
āc ad Deum fuerimus cōuersi, & in Christo Domino
spem nostram posuerimus; vt eo magis in eodem, cui-
us beneficio peccatum nobis donatur, gloriari & no-
men eius sanctissimum celebrare possimus.

V N D E C I M V S A R T I C V L V S:

Carnis resurrectionem.

NIHL èquè rerum omniū natura nostra perhor-
rescit, atquè discessu animæ à corpore, id quod
res ipsa declarat, & in sensibus omnium quodammodo
haret. Itaq; vt Christus in alijs omnibus, quæ animis
nostris metum atque terrorem obijcere possunt, no-
bis perbenignè subuenit, ita neç in hac parte defuit:
Quippe qui non id solum impetravit nobis, vt animi
nostræ, sed etiam vt corpora aliquando reuiuiscant, &
cum ipso quodammodo resurgent: ac cum moriūtur,
hac quidem vita cedant, non vt non amplius sint, sed
vt aliquando multò melius beatiusque viuant. Futurū
est enim, vt animæ nostræ in corpus, vnde discesserūt,
redeant aliquando, & corpora vitam, eamque multò
quam nunc, feliciorem recuperatura sint, de quo ipso
audite Paulum, immò Christum per Paulum loquen-
tem: Nunc autem, inquit, Christus resurrexit à mor-
i. Cor. 15. tuis, primitiæ dormientiū: quoniam quidem per ho-
minem mors, & per hominem resurrectio mortuorū:
& sicut in Adā omnes moriūtur, ita & in Christo omnes

viuificabuntur: vnuſquisque autem in ſuo ordine, pri- 39
mitiæ Christus: Deindè iij, qui ſunt Christi, qui in ad-
uentum eius crediderunt: Deindè finis. Et paulò pōst:
Sed dicet aliquis: Quomodò reſurgent mortui? quali
autem corpore venient? Inſipiens tu, quod ſeminas,
non viuificatur, niſi priuius moriatur. Et quid ſeminas?
non corpus, quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudū gra-
num, vt potè tritici, aut alicuius cæterorū. Deus autem
dat illi corpus ſicut vult, & vnicuiq; ſuum proprium
corpus. Non omnis caro, eadem caro: ſed alia homi-
num, alia pecorum, alia volucrū, alia autem pifcium:
& corpora cæleſtia, & corpora terreftria: Sed alia qui-
dem cæleſtium gloria, alia autem terreftrium: alia cla-
ritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum.
Stella enim à ſtella diſſert in claritate: ſic & reſurrecțio
mortuorū: ſeminatur in corruptione, ſurget in incor-
ruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria:
Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute: ſemina-
tur corpus animale, ſurget corpus spiritale. E quibus
omnibus intelligitur fore, vt corpora noſtra in reſur-
reccióne mortuorū in vitam spiritalem, eamq; multò
quām nunc beatiorem reuietur aſſint. Nam eo tempo-
re nec cibo, nec potu, nec ſomno ampliū egebunt,
nec erit, cur ad genus ſuum vel propagādum vel con- Apocal.7:
ſeruandum liberos procreent, nec morbo ullo aut do-
lore affiſſientur. Quin omni mortis metu liberabun-
tur,

40 tur, & immortalia erunt, planeque æterna. Immò vita
horum, angelorum vitę similia erit. Hinc illud Mat-
thei: In illo die accesserunt ad eum Sadducei, qui dicūt
Matt. 22. non esse resurrectionem, & interrogauerunt eum, di-
Deut. 25. centes: Magister, si quis mortuus fuerit, non habens
filium, vt ducat frater eius vxorem illius; Erant autem
apud nos septem fratres: & primus vxore ducta defun-
ctus est, & non habens semen, reliquit vxorem suam
fratri suo, similiter secundus & tertius usque ad septi-
mum. Nouissimè autem omnium & mulier defuncta
est. In resurrectione ergo, Cuius erit è septem vxor?
omnes enim habuerunt eam. Respondens autem Ie-
sus, ait illis: Erratis nescientes scripturas, neque virtu-
tem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubē-
tur, sed sunt sicut angeli dei in cælo. Ac cum ita corpo-
ra & animæ iterum coniungentur, tum perficietur fe-
licitas nostra, & tanta omnino erit, vt ad cumulum eius
nihil omnino accedere possit, & Deus omnia futurus
sit in omnibus. Quicquid enim omnes homines expe-
tent atque amabunt, hoc eis erit deus, extra quem ni-
hil eis erit iucundum, nihil suaue. Quin Deus summū
corum bonum, quo sempiterno æuo fruentur, vitam
corum summa & incredibili iucunditate suavitateque
condiet, & gaudio atque lætitia æterna perfundet. De
hac beatissima resurrectione atque nouissima regene-
ratiōe spem adfert hic articulus symboli nostri, & tan-
to

to magis omni nos terrore mortis leuat, quanto cre- 41
dimus firmius, corpora nostra aliquadò in vitam æter-
nam, & multò, quam hæc præfens esse potest, felicio-
rem reuictura esse, idque per Christum dominum no-
strum.

V S V S A R T I C V L I .

Si terror mortis te pturbat, oppone ei resurrectionem carnis: Ac si hac nixus fueris, ex ea haud dubie tantum consolationis hauries, vt minimè desperes. Quin ad Christum, qui tantum nobis bonum per crucem suam atque resurrectionem impetrauit confuge, in eumque crede. Atque fides hec tibi erit ancora salutis, atque adeò scutum illud, quo ignita satanæ tela, quibus te idem forte in desperationem impellere conabitur, extinguere possis. Ac quo minus hic animum tuum contrahas, hanc Christi promissionem, eamque consolationis plenissimam, in animo tuo atque memoria semper habeto: Ego sum (inquit) resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit Ioan. xi. & credit in me, non morietur in æternum.

D V O D E C I M V S A R T I C V L V S :

Et vitam æternam. Amen.

Postrémus hic Articulus fidei nostræ agit de vita æterna, quæ est finis ille, ad quem Christus negocia-

F um

42 um redēptionis nostræ retulit. Hinc illud Christi:

Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eternam. Quo minus dubitandum est, quin iij, qui in Christo Iesu sunt, nec ab eodem deciderunt, hanc vitam suam cum aeterna conmutare possint. Nam

Rom. 8. cum igitem filii sint dei, sunt etiam heredes: heredes quidem dei, coheredes autem Christi: idque secundum spem vitae aeternae. Quam hereditatem simulac post hanc vitam adierint, animi eorum ut omnium bonorum genere cumulabuntur, ita ab omni malo remouebuntur. Nihil erit amplius quod angat eos, quod perturbet, quod deprauet: Videbunt Deum non per speculum,

1. Cor. 13. ut nunc, sed facie ad faciem: & quam cogitationem, sapientiamque; perfectam est visione eius hauriet, ea mirabiliter ornabuntur. Quin charitas in eis tam perfecta erit, nihil ut ipsis ad vitam sempiterno aetuo beatissime degendam deesse queat. Ac quia ita paratum est aeterno Dei consilio, ut corpora etiam aliquando in vitam aeternam reuiuiscant, tum certe beati illi & animo & corpore perfectionem aeternam, atque eternitatem perfectam eandemque; beatissimam consequentur. Et quamquam ut quisque; in Domino moritur, animus eius in celum, ubi vitam vivat aeternam, subuolare subito potest, tamen in nouissimo die, cum corpus eius a mortuis excitabitur, eandem yberiore etiam cum felicitate

obti-

43

obtinebit: Quo tēpore corpora ipsa, non minūs quam
animi, omnibus malis vacua erunt: non esurient, nec
ficient amplius, non algebunt, non calore afficientur,
non senescent, non debilitabuntur, non morbo, nec
dolore villo cruciabantur: breuiter, impatibilia erunt,
immortalia, gloria, pulcherrima. Scriptū est enim:
Corpora Sanctorum lucebunt sicut sol. Atque ut rem
totam in vnum cōtraham, simulac quisq; vitam æter-
nam consequitur, angelorum similis est, nec angelō-
rum solum, sed Dei etiam ipsius. Charissimi, (inquit ^{1. Ioan. 5.}
Ioannes) nunc filij Dei sumus, & nondūm apparuit
quid erimus: scimus quoniam cūm apparuerit, similes
ei erimus, quoniam videbimus eundē sicuti est: & tan-
ta tum cuiusq; bona erunt, quāta nec oculus ullius vi-
dit, nec auris audiuit. Hęc ferè est magnitudo ac gloria
hæreditatis nostræ, quæ est vita, quam Christus domi-
nus noster, cūm ē fauibus mortis ipse moriendo nos
eriperet, nobis hæredibus suis æternam peperit.

V S V S A R T I C V L I .

CVM quæ in hac vita consequimur bona, sint flu-
xa, nec æterna: certè non h̄ic animo hærere, sed as-
cendere in cælum, ac meliora illa atque cælestia expe-
tere debemus. Cogitemus nos h̄ic à Domino peregri-
nari, quoad viuimus, nec permanētem habere locum:
sed cum nobis finem propositū esse, vt tādēm in eter-

F 2 nam

44 nám patriam, vbi omnia sunt æterna atq; beatissima;
concedamus. Quo magis vigiladum est nobis, nè cùm
dominus venerit, nosque ex hac vita euocauerit, im-
parati inueniamur, & occasioem optatissimam in re-
gnum celorum introeundi amittamus, qualis se po-
stea nullo unquam tempore offeret. Ad quam vigili-
am, eamq; cum primis necessariam, Christus ipse nos
excitat & monet, nè cupiditate carnis aut negligentia
benè agendi, aut contumacia vlla nos ab ea auerti pa-
tiamur: Idemque accidat nobis aliquando, quod virgi-
nibus fatuis, quæ culpa sua fecerant, vt regno celorum
excluderentur. Ac quanto casus hic flebilis nos terre-
re debet magis, tanto meliorem spem atque consola-
tionem fides de æterna vita afferre & debet & solet. Ac
si fortè aduersa huius mundi, qualia multa accidere so-
lent, te premant, crede aliquando fore, vt sublatis his
malis, æternam vitam, eamque cum summa tranquil-
litate atque felicitate coniunctam, consecuturus sis, &
recreaberis haud dubie, ac spes æternorum bonorum
mitigabit dolorem breuis temporis, cùm præsertim si
in Deo ac sanguine Christi spes tua posita fuerit, De-
us qui diues est in misericordia, eam falli minimè pa-
tiatur. Ac si villo tempore, certè cùm diem tuum obi-
turus es, hac eadē spe te sustentes necessè est. Atq; hoc
cum primis necessarium erit tibi, vt spiritū tuum non
frustrà in manus peisanctissimas commendare possis.

Matt. 25.

Hæc

Hæc hactenùs de duodecim articulis fidei, qui omnia
quæ à deo accipimus, bona complectuntur: Et quia
quicquid horum est, à Deo proficiscitur, rursus autem
omne malum nostrum à nobis: certè id agere debe-
mus, ut nos in nobis deiijciamus, & nosipso accusa-
mus humiles: In Deo autem solo, atque Domino no-
stro Iesu Christo gloriemur, ac spem nostram totā col-
locebamus: Et hoc Dauidis in animo atque ore perpe- Psal. 113.
tuò habeamus: Non nobis Domine, non nobis, sed
nomini tuo da gloriam. Est enim veræ in Deum fidei
proprium, excludere gloriationem nostrâ, ut scriptum
est ab Apostolo: & omnem omnis boni gloriam Deo Rom. 8.
tribuere, idque ita, ut habeas huic Optimo Maximo
cùm vite, tum salutis nostræ authori honorem verita-
tis, quatenus promissis eius indubitâter credis: hono-
rem omnipotentiæ, quatenus credis & speras eum,
quod promittit, præstare posse, & in ipsius potestate
sita esse omnia: honoré denique benignitatis summæ,
quatenus credis & speras eundem Dominum ac patrē
Domini nostri Iesu Christi, quæ nobis promittit bona
salutaria, pro misericordia sua atque clementia haud
dubiè largiri. Atque hanc in Deum fidem, ut donat
deus, ita etiam approbat. Nec solum tribuit huic acci-
pienti, quæ benignissimè promittit, sed eadem etiam
ipsam ad iustitiam imputat. Nam qui corde contrito, Rom. 4.
summisso, atque deiecto ad misericordiam dei confu-

F 3 git:

46. git: & in hoc domino, & in Christi sanguine & cruce fidutiam spemq; suam ponit, non solum accipit, quod credit: sed etiam in vita huius imperfectione fides eiusdem ad eam iustitiam imputatur, quasi ipsi ad summam iustitiae perfectione nihil desit. Ac ne quis forte putet, me fidem talem, quæ in animis eorum, qui peccatis lœtaliibus inquinati sunt, & à bono auersi, inhærescit, afferre, ut nō tam fidem quam temeritatē quandam confidentem tradere videar: dico me de ea, quæ in Deum est, & spem atque fidutiam intra se inclusam habet, agere: cuius ea est natura, ut non antè existat in animis nostris, quam idem ad humilitatem pœnitentiæ sint deiecti, & quæ ita cum charitate coniungitur, ut simulac credis Deum tibi propicium esse, eum non possis nō continuò, ut patrem diligere, nihilq; malis, quam voluntati atq; legi ipsius obediens. Hæc enim est viua illa fides, quæ suo tempore per charitatem bonorum operum procreatrixem, bene recteque facit.

DE LEGE IN GENERE.

VEnimus nunc ad Legem, quæ doctrinæ fidei, de qua iam egimus, recte & ordinè subiungitur. Nam quandò doctrina eadem certa Dei cognitionem impressit præcordijs nostris, in eisque Christum formauit, certe, nè quem ore confitemur, factis negemus, vita nostra ita instituenda est, ut quæ bona sunt faciamus, & horum contraria fugiamus; & caueamus, nè non iusta Dei voluntati in omni vita perpetui-

petuitate pareamus. Quam officiorum rationem Lex 47
dei nobis ita præscribit, vt si ad hanc quasi regulam vi-
tam quisq; suam direxerit, is nec offendat v̄spiām, ne-
que incurrat. Hæc sanè Lex & cognitio est peccato-
rum, & pedum nostrorum lucerna. Etenim si contrà, Rom. 4.
quàm illa præcepit, fecerit quispiā, ea monitus agno-
scet se peccasse, & iustum Dei voluntatem offendisse. Psal. 118.
Sin verò sequutus fuerit hanc eandem, vt lucernā pe-
dum suorum, nec ab ea deflexerit v̄spiām, non solum
rectè faciet, sed etiam testimonio bonæ conscientiæ
seipsum consolabitur. Et quanquàm scriptum est, LEX Matt. 11.
& Prophetæ usque ad Ioannem: hoc tamen non de ea
Legis parte, quæ bonos mores sanxit, sed de cæremo-
niali est intelligendum. Hanc enim sublatam esse satís
constat. Habuit nanque ea umbram futurorum, quæ
cùm cederet corpori succedenti, hoc est, Christo, nul-
lus eiusdem partis amplius fuit usus: Nec eo tamē mi-
nus moralis vim suā retinuit, nisi quis fortè putat Chri-
stum venisse, non vt expleret eam legis partem, sed vt
tolleret: At contrarium eo, quē in monte habuit, ser- Matt. 5.
mone docuit. breuiter, cùm Christus sit ille agnus dei,
qui tollit peccatū mundi: tantum abest, vt soluerit nos Ioan. 1.
lege, quæ vitæ officia præcipit, vt eandem etiam cor-
roborasse videatur. Neq; enim ignota est hæc eius vox:
Si vis ad vitam ingredi, serua mādata. In eandē senten-
tiam Ioannes: In hoc scimus quod cognoscim⁹ eum, Matt. 19.
si man- 1. Ioan. 2.

Si mandata eius obseruamus, qui dicit se nōesse Dēum,
 & mandata eius non custodit, mendax est, & in eo ve-
 ritas nō est. Et paulo pōst: Charissimi, non manda-
 tum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod
 habuistis ab initio: atq; hoc est illud ipsum mādandum,
 quod Decalogus continet, quem Christus non mo-
 dō non abrogauit, sed etiam perfectiorem fecit, qua-
 tenūs eum spiritu charitatis cumulauit. Quod ipsum
 quale sit, cognoscite hoc loco. Ac cūm tria sint quasi
 genera legis, Naturale, Mosaicum, & Spiritūs: de singu-
 lis dicam quod sentio,

Principiō innatum est vnicuique, vt putet malum
 omne fugiendum esse, bonum aut̄ expetendum, faci-
 endum q;: & positum est in cuiusque intelligentia, de-
 um esse colendum, parentes obseruandos, & quod si-
 bi non velit fieri quispiam, alteri nē faciat. Hęc regula
 rationis nostrę, est lex illa naturę de qua hoc loco que-
 ritur, Quę gentibus præclara vitę instituta peperit, id
 quod Persarū, Lacedēmoniorū & Romanorū mores
 declarant. Etsi autem ij, qui lege naturę ducuntur, ho-
 nestē viuere, & societatem cum ciubis suis recte &
 commodē tueri possunt, tamen hoc genus angustius
 est, quam vt virtutem Christianorū, pleniorē illam
 quidem, formare possit. Nam vt homo qui natura tan-
 tum ducitur, numen aliquod sibi colendum putet: ta-
 men peccatum originis naturam ipsius ita corrupit,
 vt nec

vt nec D E V M verum, nec quæ spiritū sunt cognoscat, sed in grauissimorum errorum tenebris verisetur. Constat namq; ethnicorum multos, qui floruerunt & sapientia & virtutū moralium laude, idola tamē coluisse. Eōdem accedit, quod qui natura tantūm constat, non intelligat cupiditates prauas vitia esse, vel peccata, si non in actum erumpant, nec hominibus quibus cum viuitur, noceant. Itaque animalis homo interiores & latentes animi motus atq; voluptates, quæ alteri non faciunt iniuriam, aut aliās eos non ledunt, non modò non exhorrescit, sed in delicijs potius habet. E quo ipso est sanè perspicuum, legem naturę non animum excolare, sed externā potius iustitiam excitare.

Ac quoniam Deo, qui Spiritus est, hęc externa iustitiae ratio nō satisfacit, nec aliam ille approbat, quam quę cum pietate vera coniuncta est, & à bono animo, voluntateque proficiscitur: certe vt generi nostro in hac parte cōsuleretur, legem quam scriptā dedit Mosī, ad legem naturę accedere voluit benignissimus dominus, non vt tolleret hanc, sed vt pleniorē melioremq; faceret. Nam per hanc non solum ab idolatria ad verum vnius Dei cultum, qui cęlum & terram creavit, hominem reuocat, nec solum maleficia quę sub sensum cadunt, sed etiam voluntatem improbam, eamq; latentem prohibet: Non concupisces, inquit, nec solum facta externa, sed etiam charitatem præcipit. Atq;

G vt

50 vt in hunc ferè modum Deus monstrat fontem præceptorum suorum, ità riuulos, qui ex eo ipso fluunt, ostendit, ac decalogo inclusit. Et quanquam præcepta hæc legis Mosaicę per se cùm bona sunt, tum verò etiam honesta, tamē quia animalis homo à bono ad malum proclivis esse non desinit, certè neq; hęc Mosaica lex ad iustitiam, quæ cum salute hominis cōiuncta est, constituendam satis virium habet: præcipit nanque charitatem, sinè qua benè iusteque haud viuitur, eam tamē non tribuit. Quin cupiditates prauas non modò non comprimit, sed incitat etiam magis atque auget. Idem nanque per eam accidit homini, quod fluminī rapido, cuius cursui moles quædam opponitur, quę ipsa cursum eundem non modò non sedat, se multò, quam antè erat, concitatiorem facit. Itaque Paulus legem eam vocat occasiōne peccati, & mortis ministratiōnem: Quippe cùm & cupiditates easdē incitet magis, & facit ut eadem incitatę, perniciē generi hominum afferant, nō quòd lex per se nō bona sit, sed quia naturae nostrae languenti etiam id, quod bonum est, nocet, idque certè non aliter, quam ægrotis oculis bonus solis splendor, & ijs, qui febri afficiuntur, vinum bonum.

Verūm vt Deus pro misericordia sua in hac quoquere ratione nobis succurreret, addidit legi naturae atque Mosaicę legem spiritūs, quæ non scripta est, sed dīgito

digito dei p̄cordijs hominū impressa, & eām omni-
 nō vim habet, vt non amplius inuitus, sed sponte tua
 & bona cum voluntate facias, quod lex scripta sanxit.
 Eo nanque amore recti animum inflammat, nihil vt
 mālis quām Deo ēterno patri atque legi eius obedi-
 Immō mori mālis, quām contumacia vlla tua Deum
 offendere. eō fit, vt accessio spiritūs, de qua hīc agitur,
 viuificet, quos scriptum & litera legis occidit. Dē hac
 autem lege spiritūs, extant hēc Dei promissa consola-
 tionis plenissima: Eccē dies venient, dicit Dñs, (*apud Hier. 31.*
Hieremiam) & feriam domui Israel, & domui Iuda fœ-
 dus nouum, non secundūm pactum quod pepigi cum
 patribus vestris in die, qua appræhendi manū eorum,
 vt educerē eos de terra Aegypti, pactum quod irritum
 fecerunt, & ēgo dominatus sum eorum, dicit Domi-
 nus: sed hoc erit pactū quod feriam cum domo Israel
 post dies illos, dicit dominus, dabo legem meā in vi-
 scribus eorum, & in corde eorum scribā eam, & ero
 eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. In ean-
 dem sententiam loquitur Deus apud Ezechielem: Et *Ezech. 36*
 effundam super vos aquam mundam, & mundabimi-
 ni ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis
 idolis vestris mūdabo vos, & dabo vobis cor nouum,
 & spiritum nouum ponā in medio vestri, & auferam
 cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carne-
 um, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faci-

52 am, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cu-
stodiatis & operemini.

Hæc est illa ipsa lex, de qua h̄ic agimus, Lex nimi-
rūm spiritūs atque charitatis, quæ non solūm præscri-
bit, quid facere, quidve fugere debeamus, sed eam eti-
am vim ingenerat animis, vt quod præscribitur, & ve-
limus, & volentes faciamus. Atque hæc ipsa tanto &
melior est, & dignitati filiorū Dei aptior, quanto cum
libertate eorundem coniunctior. Quorum proprium
Rom. 8. est clamare, abba pater, & voluntati diuinæ libēter pa-
Gal. 4. ráre. Et cuius animo lex illa insita est, is Deo atque iu-
stitiæ viuere, & voluntati diuinę se rectè & ità accom-
modare potest, vt hanc non facile offendat. Et quan-
quām in ijs, qui renouati spiritu & charitate ducūtur,
resident certa vitia, quibus ad officium humilitatis re-
uocātur perpetuò, & caro contra Spiritum horū quo-
àd in hac terra viuūt, pugnare non desinit: Cuius qui-
Rom. 7. dem rei sensu afficiebatur Apostolus, cùm hanc vocē
non sinè genitu ederet: Infelix ego homo, quis me li-
berabit de corpore mortis huius? tamen quicquid vi-
tij huius est, id ijs, qui insiti sunt Christo, nec cupidita-
tibus prauis consentiunt, perniciosum non est. Nihil
Rom. 8. enim condemnatiōis est ijs, qui sunt in Christo Iesu,
nec secundūm carnem ambulant, inquit Paulus. Ac
cùm ijdem ipsi sinè peccato quotidiano non viuāt, vt
si dicant se peccatū non habere, seipso decipient, &
veri-

veritas in eis non sit, vt Ioannes ait, tamen pro ea, quę 53
in vitam peregrinationis huius nostræ cadit, iustitia,^{1.Ioan.1.}
legē Dei explere possunt. Quod si assequitur quis piā,
& è fide sua viuit, huic quod minùs facit, quām ratio
iustitiæ omnino perfectæ postulat, fraudi non est.

Iam verò Decalogus ipse regulam certam eorum,
quæ in hac vita expleri possunt, officiorū tradit: quic-
quid enim horum est, decem illius præceptis cōtine-
tur. Nam cùm præcipua officij nostri ratio postulet, vt
Deum omnibus ijs, quæ in nostra potestate sunt, ani-
mo videlicet, corpore, & reb⁹ externis colamus: quic-
quid ad hanc rationem pertinet, tribus primæ tabulæ
præceptis includitur. Sed quid hominibus, quibuscū
viuimus, pro fraterna charitate tribuēdum sit, cognos-
ci potest, è generali legis naturæ præcepto, Quę volu-
eritis vt vobis faciant homines, eadem facite eis: è quo
ipso legem & prophetas pēdere Christus ipse summa Matt. 22.
authoritate docuit. Quandò autem vnusquisque no-
strūm vult, vt dicto suo audientes sint, quos habet in
potestate, ac nè vlla iniuria afficiatur ipse, nec de ho-
nore suo atque facultatibus quicquā detrahatur, néve
falso testimonio ab ullo lādatur, ex hac legis naturæ
regula statuere potes facile, quid in hoc toto genere
ipſi vel facere vel vitare debeamus. Huc accedit illud
in lege, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, è cui- Leuit. 19.
us quasi fonte fluunt illa septem secundę tabulę deca-

54 logi præcepta. Neq; enim ignotum est illud Apostoli:
Rom. 13. Nemini quicquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis: Qui enim diligit proximum, legem adimpleuit. Nam non adulteraberis, nō occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, nō concupisces, & si quid aliud est in lege, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuū sicut teipsum: dilectio proximi malum non operatur: plenitudo ergo legis est dilectio. Sed satis dictum sit de vniuersale legis natura. Nunc de singulis decalogi præceptis,

PRIMVM DECALOGI

PRAECEPTVM:

Non habebis Deos alienos.

C Aput Christiani officij est, D E V M piè colere, &
contrariū huius, quod est superstitione, fugere. Nam cùm Deus nos & vniuersum hoc, quod cernimus, creārit, regat, conseruet: postulat verē pietatis ratio, vt talia ac tanta eius beneficia agnoscamus, atq; solū hunc Deum nostrum esse credamus. Scriptum est enim diuinitū: Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnuis est. Item apud Hieremiam: Pariter insipientes & fatui probabuntur: doctrina vanitatis eorū, lignum est; argentum inuolutum de Tharsis affertur, & aurum de Ophir opus artificis & manus ærarij: hyacinthus & purpura indumentum eorum, opus artificum vniuersal hæc:

Deut. 6.

Hier. 10.

Sa hæc: Dominus autem Deus verus est, ipse Deus vi-
uens & Rex sempiternus. Ab indignatione eius com-
mouebitur terra, & non sustinebunt gentes commo-
tionē eius. sic dicetis eis: Dij qui cælum & terram non
fecerunt, pereant de terra, & de ijs quæ sub cælo sunt.
Atque ut nos Dominum Deum, qui cælum & terram
creauit, solum esse Deum nostrum credere, ità hunc,
& non alium, diuino honore afficere atque colere de-
bemus. Et primò id quidē animo & interioribus hu-
us motibus, ijsque pijs. De quo genere sic habetote:
cùm bonū omne ab hoc vno Patre lumen descen-
dat, & ipse sit Rex regum, in cuius manu diuitiæ sunt
atque paupertas, vita & mors, salus & pernicies, certè
omne bonum ab eo, vt authore expectare, & fidem
spemq; nostrā in eo solo ponere nos oportet: Quippe
cùm id cuique Deus sit, in quo spem suam collocat.
Hinc illud Mosis, de idololatris loquentis: Vbi nunc Deut. 32.
Dij eorum, quibus confidunt? Itaque quatenū in De-
um solum credimus, spemque nostram conferimus,
catenū hunc verum Deum nostrū esse agnoscimus,
& vera cum pietate colimus. Neq; verò nos solum in
Deum verum credere atq; sperare, sed etiam eundem
ipsum præ ceteris rebus omnibus cùm timere, tum ve-
rò etiam diligere debemus. Neque enim ignotum est
illud legis, Dominum Deum tuum timebis, & ei soli Deut. 6.
& 10.
seruies. Item, Diliges dominum Deum tuum ex toto
corde

36 corde tuo. Quod vtrunque ad eum, qui Dei proprius est, cultum, eumq; spiritalem vehementer pertinere, satis omnium constat. At cum Deus spiritus sit, certe spiritales illi motus fidei, & charitatis ad eum vera pietate colendum tam apti sunt, nihil ut esse possit aptius. Quos qui affert, maximam a Deo gratiam inite, & præmia vberima consequi solet. Nam ut Paulus ait,
1. Tim. 4. pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.

Iam quanto magis elaborandum est nobis, ut Deo soli tribuamus, quod ipsius proprium est, tanto diligenterius est cauendum, ne idem in rem aliquam creatam transferamus, cum eave communicemus: atq; ita Deum verum turpissime deseramus, atq; ad alienos deos deficiamus, contraria quam hoc legis capite expressim prohibetur. Deum autem alienum habet, quiunque vel a seipso, vel ex alia quapiam re creata idolum sibi facit.

Hoc loco, ut de ijs, quæ precipua sunt huius generis, singulatim agamus: facit quisque a seipso idolum primò, quoties prudentia, sapientia, fortitudine atq; potentia sua fretus, opem Dei aut contemnit, aut non tanti facit, quanti debet. Quid ita? quia quem honorē Deo habere debet, eum sibi arrogat. Quod cuiusmodi sit, & quam perniciosum, ostendit Deus ipse apud Esaiam 29. Perdam, inquit, sapientiam sapientum. Item apud Hier-

Hieremiam: Maledictus homo qui spēm ponit in ho- 57
nē, & qui facit carnem brachium suum, & à Domino Hier. 17.
recedit cor eius: erit enim quasi myricæ in deserto, &
non videbit cùm venerit bonum, sed habitabit in sic-
citate in deserto, in terra salsuginis & inhabitabili. Itē
apud Ezechielem: Eō quòd eleuatum est cor tuum, Ezech. 28
quasi cor Dei, idcircò eccè ego adducam super te alien-
nissimos & robustissimos gentiū, & nudabūt gladios
suos super pulchritudinem sapientię tuę, & polluent
decorem tuum, & interficiant te, & morieris in interi-
tu occisorum in corde maris.

Secundò facit aliquis è seipso idolum, cùm iustitia
sua ad spēm salutis nititur, nec arbitratur se misericor-
dia Dei atq; meritis Christi ad eandem rem egere. Qui
cum sacrilega temeritate vendicat sibi, quod Dei pro-
prium est, nec iustitiam, quæ è fonte seruatoris hauri-
tur, huic acceptam refert; ab omni salutis suæ ratione
auersus est, & dum iustitiam suam statuit, iustitiæ Dei Rom. 10.
subiectus non est.

Tertiò facit è seipso idolum, quicunque se magis aut
è quæatquæ Deum diligit. Quid ita? quia Deus præ cete-
ris rebus omnibus diligendus est. Rectè igitur Paulus philip. 3.
qui scribit, hominis, qui ita in suis amorem defixus est,
vètrem esse Deum, quatenus māuult cupiditates suas
improbas explere, quam deo vero obedire. Quod cùm
per se peccatum graue est atque lœtale, tum aliorū cri-

H minum

58 minum eorumque pessimorum fons atque origo.

Neq; verò solūm ē seipso, sed etiam ex ijs quæ extra se sunt, facit homo idolum sibi: primū, quotiēs simulacrum aliquod adorat, in eoque spem suam ponit. A quo genere ut caueremus nobis, lex in hęc verba sanxit: Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium, quæ in cælo sunt desupèr, & in terra deorsum: non adorabis ea, & non coles. Verūm etsi impium est & lege interdictum, simulacris honorem, qui Deo soli tribuendus est, habere: tamen simulacra per se neque impia sunt, neque mala. Alioquin nec Deus imperasset, vt simulacra Cherubinorum in arca poserentur, nec Ecclesia Christiana simulacra, quæ nos rerum bonarum admoneret, approbauerit.

Num. 21. men quale hoc totum sit, declarat effigies ęrei serpantis in solitudine. Quam cùm Deus initio approbasset, poste à tamen quam eam Iudæi cultu latrię colere cœperant, improbavit eam, vt ea ab Ezechia Rege optimo nō iniuria confringeretur, & amoueretur, vt scriptum est in libro Regum. Habemus hīc regulā, eamq; diuinitū traditam, ad quam simulacra quæ in Ecclesia extant, vel probare vel improbare debemus.

4. Reg. 18 Ex signis item cæli faciunt sibi idola, quicunque Hier. 10. ab eis sibi metuūt. Hinc illud Hieremię: Iuxta vias gentium nolite discere, & à signis cæli nolite metuere, quæ gentes, quia leges populorū yanæ sunt. Nam cùm

cum Deus astra & totum cælum in potestate sua habeat, hæc ipsa haud dubiè ad nostram vtilitatem & regit, & moderatur. Quod qui non credit, detrahit honorem ei iustum, & nō ita, vt par est, de Patre hoc nostro benignissimo sentit.

Sub eandem rationem cadit omne diuinationis genus, quod non à Deo reuelate proficiscitur. Quam superstitionē lex ipsa nominatim damnat. Nam vt scriptum est in Leuitico: Anima quæ declinauerit ad Magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.

Leuit. 20.

Iam agri vt ferant fructus, colendi sunt. Verùm si in hac re paterfamilias plūs spei in familiæ operis, quam in Deo atque benignitate eius ponat, cōmittit in hoc legis caput. Quidita? quia quod d e o tribuere debet, homini tribuit. Sed hoc crimen ij vitabunt facile, qui has spiritus sancti è scripturis loquentis voces tanti fecerint, quanti debent: Benedictio domini diuites facit. Item, Iacta curam tuam in dñm, & ipse te enutriet.

Prou. 10.
Psal. 54.

Par item crimen est eorum, qui si ægrotant, ad medicorum opem ita confugiūt, vt spem suam non tam in Deo, quam in arte istorum collocent. Quanquam enim non frustra scriptum est, Honora medicum: tam id permisum non est, vt quod Deo tribuere debes, in ullum hominem transferas. Quod quale sit, ca-

H 2 sus

Eccle. 38.

60 Ius Asæ Regis illustre documentum statuit. Est enim
2. para. 16. memoriæ proditum, cùm hic in morbum incidisset,
& magis medicorum arti quām deo salutem suam cō-
mitteret, morte multatū fuisse. Breuiter, si per vllam
rem creatam nobis aliquid boni tribuitur, non huic,
sed Deo, qui per eam benignè facit, gratias agere de-
bemus: vt fides, & spes nostra semper sit in eodem do-
mino nostro.

Ac si Deus hodiè etiam per rem aliquā signa omni-
potentiæ suæ mirabiliter edit, non in re eadem, sed in
Deo qui per hanc agit, spem nostrā ponere debemus.
Ac cùm quod suum est, hīc tribuerimus Deo, res tamē
creatas, quibus Deus vt instrumentis beneficentie sue
vtitur, contemnere non debemus, prout nec ossa Eli-
4. Reg. 13. zei olim, nec semicinctia Pauli contemnda fuerūt.
Acto. 19.

Quod reliquum est, potest alter nostrūm pro altero
utiles sanè preces fundere. Neque enim ignotum est
Iacob. 5. illud Iacobi: Orate pro inuicēm vt saluemini. Et hanc
Rom. 15. ob causam Paulus fratres suos rogauit, vt se precibus
coadiuarēt. Et sunt in corpore Christi, hoc est, in Ec-
clesia etiam beati illi Spiritus, qui ex hac vita in cælum
migrarunt, & cum Deo sempiterno æuo viuunt. Qui
Apoc. 14. cùm sequant agnū quocunquè ierit, & deum facie ad
1. Cor. 13. faciem videat, perfecta cognitiōe prædicti, haud hubiè
intelligunt, quæ ad nos pertinent. Quo minùs dubi-
tandum est, quin ijdem pro bonitate sua & charitate,
qua

qua abundant, nos deo commendent. Etsi autem hoc
inutile non est, cum nostra interfit, multos pro nobis
supplicare deo, & eo etiam tempore cum aliud agimus,
tamen spem salutis in eis ponere minimè debemus,
quandoquidem non ipsi tribuunt, quod rogant: sed
Deus, quem pro nobis rogant.

Ex his sane perspicuum est, qua quisq; ratione Deum
vera cum pietate colere, & superstitionem atque
idolomaniam omnem fugere possit. Ac si cautiones
eas, quas prescripsi, adhibuerimus, non erit pericu-
lum, ne ab officio in hoc genere nostro discedamus.
Atque ut voluntatem dei in hac ratione pleniùs per-
spicere possimus, consideremus præmia, quæ deus pijs
proponit: & poenas, quibus impios atq; contumaces
terret. Sic deus dilexit mundum, ut unigenitum filium Ioan. 3.
suum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed
habeat vitam æternam, inquit Christus ipse. Item, Ego Ioan. 11.
sum resurrectio & vita: qui credit in me, etsi mortuus
fuerit, viuet: & quicunque viuit, & credit in me, non
morietur in eternum. Hec promissa quantum nobis
credentibus atq; sperantibus consolationis afferre pos-
sunt? quantum ex eis lumen diuinę benignitatis men-
tibus nostris affulget? Adde hoc illud Hieremiæ: Be- Hier. 17.
nictus homo qui confidit in domino, & cuius spes
dominus est: Et erit quasi lignum quod transplanta-
tur super aquas, quod ad humorem mittit radices su-

62 as, & nō timebit cùm venerit æstus. Rursus verò eum,
qui non credit atq; sperat, remotum esse à ratione sa-
lutis suæ, nec deum propicium habere posse, ostendit

Mar. 16. Christus ipse: Qui crediderit, inquit, & baptizatus fue-
rit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.

Ioan. 3. Item, Non enim misit deus filium suum in mun-
dum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per
ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem
non credit, iam iudicatus est. Ac nè charitatis nullam
rationem habere videatur benignissimus Pater, ma-
gna etiam ijs, qui diligunt, promittit, inquiens: Qui

Ioan. 14. diligit me, sermonem meum seruabit: & Pater meus
diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud
eum faciemus. Quod diuus Ioannes in hęc verba con-

I. Ioan. 4. firmat: deus charitas est, & qui manet in charitate, ma-
net in deo, & deus in eo. Ex his verbis mirificā quan-
dam cōsolationem haurire possunt diligentēs. Nam
cùm deus sit bonum summum, quid esse vel excogita-
ri potest maius & melius Deo? Quem qui accipiunt,
& in præcordijs suis clausum tenent, non solū ha-
bent & retinent, quæ ad salutem pertinent, sed in eis-
dem etiam indiès magis ac magis augescūt. Quod au-
tem ad prēmia huius vitę attinet, eadem etiam diligen-
tibus Deum diuinitūs proponuntur. Est em in Deu-

Deut. 30. teronomio scriptum, è calamitatibus eripi diligentēs
deum, nec eos in periculum yitæ adduci. Atq; vt de-
us fo-

us fouet eos, à quibus diligitur: ità vicissim singulari
cum seueritate plectit eos, qui non diligunt, nec legi
voluntati que eius párent: id quod & ratio ipsa contra-
riorum, & sacræ literæ passim docent. Iam verò ijs eti-
am, quitiment Deum, vt filij patrem suum, & cauent
diligenter, nè hunc eundem contumacia sua offend-
dant, proposita sunt diuinitùs præmia. Ad quem au-
tem, inquit Deus apud Esaiam, respiciam, nisi ad pau-
perculum, & contritum spiritu, & trementem sermo-
nes meos? Quin hunc beatum prædicat Dauid, & Sa-
lomon eidem vitam diuturnā promittit. In quantum
autem periculū conijciant seipsoſ, qui hoc legis præ-
ceptum violant, nec deum timent, constat è scripturis
passim. Rogandus verò est spiritus sanctus, qui verum
atq; germanum huius præcepti sensum aperit, vt pro-
ea, quę hīc traditur regula, ad omne pietatis genus per-
petuò excitemur.

Eſai. 66.

Prou. 10.⁷

PRÆCEPTVM SĒCVNDVM:

Non affumes nomen Dei tui in vanum.

VT proximum caput animū hominis, ità hoc lin-
guam eius atque sermonem ad pietatem format,
idque vt non animo solum, sed etiam ore Deum recte
colat, & nomen ipsius sanctissimum celebret. Et qua-
tenus præceptum hoc interdicit, nè nomen Domini
dei nostri in vanum assumamus, eatenus contrarium
huius videtur imperare, vt videlicet nomen DEI piè
vifur-

64 usurpemus. Quod tūm contingit, cūm deum ac Christum ore confitemur, nec ab hoc officio vlo huius mundi periculo nos deterri patimur. Quod quale sit, docet Apostolus cūm inquit: Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Et Christus: Qui me confessus fuerit coram mundo, confiterbor & ego eum coram Patre meo. Debemus item nōmen dei inuocare, idque cum fidutia. In quam rationem Spiritus sanctus in scripturis & Christus ipse certas precandi formulas nobis præscribit, & ad hoc officium nos verbo suo sic inuitat: Petite, & dabitur vobis, Item, quicquid petieritis patrem in nomine meo, hoc dabitur vobis, Item, Inuoca me, & eruam te.

Nunc officium etiam nostrum postulat, vt laudemus deum, atque pro omnibus, quæ ab eo accipimus, beneficijs gratias agamus. Hinc illud Apostoli: Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.

Quod autem ad munus pascendi attinet, pastores Ecclesiarum verbum Dei diligenter nuncient: quod factum tanto majoribus præmijs afficiet deus, quanto idem cum gloria eius & salute hominum est coniunctius. Quo magis elaborandum est eisdem, vt sanam doctrinā afferat, nec patiantur hanc tanquam lypidissimam aquā vlo aut superstitionis, aut hæreses coeno in-

no inquinari: quod qui non vitant, ijdem in certissimum salutis discrimen seipso adducunt, & tanto id quidem magis, quanto perniciosius est venenū, quod populo suo pro salubri doctrinæ potu miscet. Atq; vt iij, qui nomen Domini eo, quem posuimus, modo recte usurpant, magnam à Deo gratiam ineunt, vt testimonia scripturarum, quæ paulò superius pduximus, fidem non dubiam faciunt: ita qui nomine Dei contrà, quām hoc præceptum vetat, abutitur, coram Deo innocens non est. Quo magis peierationem, blasphemiam, falsam doctrinam omnem fugere & cauere debemus, nè quæ facimus vota DEO, violamus. Neque enim ignotum est illud legis: Cùm votum vóueris deo Deut. 23. mino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Haec haec tenus de secundo Decalogi capite.

TER TIVM P R A E C E P T V M:

Memento ut diem sabbathi sanctifices.

Exod. 20.

SAbbatum significat requiem ac vacationem à labore manuum. Etsi enim homo ad laborandum natus est, perinde atquè auis ad volandum, vt Iob inquit, ^{Iob 5.} tamē labor, si perpetuus sit, nec remissio homini concedatur, tolerari minimē potest. Itaq; ferias hoc legis capite sanxit Deus: Memento, inquit, ut diem sabbathi sanctifices: sex diebus operaberis, & facies omnia ope-

Exod. 20.

I ra

66 ra tua: Septima autem die sabbathum domini dei tui est. Non facies omne opus in eo, tu & filius tuus & familia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduenia qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit deus cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit die septima. Idcirco benedixit deus diei sabbathi, & sanctificauit. Sanctificatio autem hæc non solum in eo consistit, ut vaces opere manuum tuarum, sed etiam ut deum certo sacrorum ritu colas, & ocium sabbathi vera cum pietate consummas. Nam cum homo hac lege natus sit, ut Deum veneretur, quo pleniùs sit hoc eius officium, non solum corde & ore, sed etiam re aliqua externa, quam charam habet, eundem illum dominum, eundemque cum virtute sue, tum vero etiam salutis authorem colere debet. Hinc oblationes illæ

Gen.4.8. Abelis, Noë, Abrahami, & aliorum, qui ante legem
12.&c. Mosis vixerunt. Et quanquam hoc totum genus quatenus & ferias, & externum Dei cultum induxit, per se morale est, & sub eam legis partem cadit, quæ abrogari nunquam potest, tamen tempus & modus eiusdem ad ius cæremoniarum pertinet. Quod cum in lege tale fuerit, ut Christum venturum adumbraret: postquam hic venit, tanquam umbra corpori cessit atque evanuit. Quo minùs tempore noui testamenti quisque ad ferias atque sanctificationem sabbathi adstringitur, prout nec ad holocaustum, nec alia leuitica sacra: sed tamen

ad

ad id, quod morale in hoc genere est, nō minūs quām 67
antē, deuincimur. Ac quia nec ferijs quæ vacationem
à labore manuum tribuant, nec externo sacrorum ri-
tu atq; sacrificio carere possumus, nè deterior sit con-
ditio nostra, & pietas minūs plena quām veterum, qui
vel sub lege naturæ, vel sub lege Mosaica vixerūt, fuit,
sublatis antiquis ferijs atq; sacrificijs, alias nos ferias &
aliud item sacrificium habere necessè est: Sacrificium,
quod Christ⁹ ipse in vltima cœna sua instituit, & Apo-
stoli poste à usurpārūt, & ab his quasi per manus tradi-
tum, vniuersa per orbē terræ Ecclesia accepit, & ab eo
tempore celebrare non destitit ferias, Vt diem Domi-
nicum, quem apostoli haud dubiè sanxerunt, cùm Io-
annes in Apocalypsi eius mentionem fecerit: Diem Apo. I.
item natalis Domini, Resurrectionis, Pentecostes, &
alios, qui in honorem dei instituti sunt, dies festos. Et
quanquām hi à Deo nominatim inducti non sunt, ta-
men nè inane sit, quod lex naturę de hac re animis no-
stris impressit, & Deus in lege Mosis præcepit, sanctifi-
candi sunt. Qui cùm vel ab Apostolis, vel ab Ecclesia
Catholica instituti sunt, certè qui hos cōtemnit, idem
Apostolos ipsos, aut Ecclesiam eandem cōtemnit, &
erroris quodāmodò insimulat, quod sīnè nefario sce-
lere cōmittere potest nemo. Et quia de præceptis pri-
mæ tabulæ iam satiis dictum est, ad quartū præceptum,
quod est primum secundæ tabulæ, accedimus.

QVARTVM PRAECEPTVM:

Exo. 20.

*Honora patrem tuum & matrem tuam,
ut sis longaeus super terram, quam
Dominus Deus tuus dabit tibi.*

CV M in explicandis tribus præceptis primæ tabulae, de ijs vitæ officijs, quibus DEVS colendus est, egerimus, nunc ad ea quæ ad societatem inter homines tuendam pertinent, venimus: sed quia homines conditione ita differunt, vt alij in aliorum sint potestate, alij verò pares inter se: hoc loco quæ ad prius genus pertinet, pertractabo. Et quanquam scriptum legis illud tantum, quod liberoru[m] est erga parentes officium imperare videtur, tamen sensus eius latius patet, & monstrat quid tribuere debeamus omnibus, quorum in potestate sumus, & qui vicissim in potestate nostra sunt, nobis debeat. Sunt autem quatuor potestatis genera: Parentum, maritorum, dominorum, & Magistratum. De singulis nunc singulatim.

Parentum potestatem ipsa natura rerum induxit: Nam cùm initio homo in hanc lucem editur, tātæ est imbecillitatis, vt nec ullum rationis usum habeat, nec seipsum vel alere, vel educare, vel tueri possit. Hūc igitur perire necessè est, nisi habeat à quo regatur: Et cùm eius intersit, vt non solum nutritur, educetur, defendatur, sed etiam honestè viuere assuescat: certè DEVS

per

per naturam eam amoris vim animis parentum inge- 69
nerauit, vt non solum velint liberos, quos habet, nu-
triri atque educari, sed etiam ad bonos atque laudabí-
les mores formari. Atque hic est ille ipse finis officio-
rum, quem parentes liberis suis præstare debent, idq;
vt non solum hos alant, sed etiam éducent: nec solum
éducent, sed etiam ad virtutem instituant. Huc accedit
ea parentum potestas, vt quos liberos suos regere de-
bent, eosdē coërcere possint. Qui parcit virgæ, inquit
Salomon, odit filium suum: Qui autem diligit illum, Prou. 13.
instáter erudit. Quod ius charitas ipsa, quæ est imple-
tio legis, ita moderatur, vt neq; lenius sit quam opor-
tet, neque durius. Ephes. 6.
Hinc illud Apostoli: Patres, nolite ad Col. 3.
indignationem prouocare filios vestros, vt non pusil-
lo animo fiant. At liberi vicissim parentes diligat. ete-
nim si quis alios vt seipsum diligere debet, quanto ma-
gis parentes, qui eum genuerunt, obseruet atque ho-
nore afficiat, etiā si delirent, aut deformes sint? Id quod Gen. 46.
Ioseph & Salomon exéplis suis comprobárūt. Alant 47. 48.
parentes, si egent. Nam qui tandem eos ex animo ob- 3. Reg. 2.
seruare potest, q; eis non subuenit, nec benignè facit,
quoties potest? Obediat denique paréribus quisq; su-
is. Nam Salomon hoc dedit præceptū: Audi fili mi di- Prou. 7.
sciplinam patris tui, & nè dimittas legē matris tuæ, vt
addatur gratia capitii tuo, & torques collo tuo. Hęc hac-
tenus de primo potestatis genere, Nunc de secundo,

70 quod habent Mariti in uxores suas.

Ac primò quidem obscurum non est, Deum velle
ut uxores sint in potestate maritorum. Neq; em igno-
Genes. 3. ta est hæc DEI vox ad mulierem: Multipliçabo æru-
mnas tuas & cōceptus tuos, in dolore paries filios, &
sub viri potestate eris, & ipse dominabit̄ tui. Addę etiā
Ephes. 5. illud Paulinum: Mulieres viris suis subditæ sint, sicut
domino, quoniam vir capit̄ est mulieris, sicut Christus caput̄ est Ecclesiæ: ipse saluator corporis sui. Ac
quia fœminæ imbecilliores sunt, interest earum ut à
maritis suis regantur. Has vicissim mariti amare debet̄,
ut corpora sua. Hinc illud Apostoli: Viri, diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & sei-
psum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret. Breuiter, in
legem dei committunt & mariti, & uxores: Mariti, si
asperiores sint his quam oporteat: Uxores, si non obe-
diant maritis suis: Quorum utrumque & cum lege chari-
tatis pugnat, & iustum dei voluntatem grauiter sancte
offendit,

1. Pet. 3. Quod autem ad tertiam potestatem, quæ dominorum in familia est, attinet: sic habetote, familiam obe-
dire debere dominis suis, id quod charitas & dei volū-
tas postulat. Scriptum est namque à Petro Apostolo:
Serui subdit̄i sint in omni timore dominis, non tan-
tum bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Item Pau-
Tit. 2. lus ad Titum: Serui dominis suis subdit̄i sint, in omni-
bus

bus placentes, non contradicentes, non fraudantes,
sed in omnibus fidem bonam ostendentes, vt doctrinam
Saluatoris nostri ornent in omnibus. In eandem
ferè sententiā Paulus ad Ephesios: Serui, obedite DO-
minis carnalibus cum timore & tremore in simplicitate
cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum serui-
entes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi,
facientes voluntatem DEI ex animo, cum bona vo-
luntate seruientes sicut d'omino, & non hominibus,
scientes quoniam vnusquisque quodcunque fecerit
bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber.
Dominorum aut officium erga seruos vicissim quale
esse debeat, cognoscamus è Paulo qui inquit: Et vos Ephes. 5.
Domini eadem facite illis, remittentes minas, scientes
quia & illorum & vester Dominus est in cælis, & per-
sonarum acceptio non est apud Deum. Item: Domi-
'niquod iustum est & æquum, seruis præstate, scientes Colos. 4.
quotiam & vos Dominum habetis in cælo. Hi autem
qui mercede conducti sunt, dominis præstent operas
suas diligenter, & sint fideles: Quibus vicissim domini
eandem mercedem bona cum fide soluant, & me-
minerint illius Spiritus sancti in scripturis: Dignus est Mat. 10.
mercenarius mercede sua. Item: Quicunque aliquid Luc. 10.
operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces Tob. 4.
mercenarij tui apud te omnino non remaneat. Hæc Leu. 19.
hactenus de officio mutuo dominorum & familiae,
quam

72 quam quisque horum in potestate sua habet.

Reliquum est, ut quartum potestatis genus, quod
est penes Imperatores, Reges, Principes atq; magistra-
tus, explicemus. Atq; huius ipsius quantus sit fructus,
& quam necessarius, res ipsa declarat. Nam nisi haec
2. Tim. 2. hominum societates in officio contineret, nec quie-
te, nec honeste viuere inter nos possemus: sed bellui-
no prorsus more, qui plus posset, oppimeret alterum,
nec iuris ylliis æquabilis ullam rationem haberet, ac
breui ciuitates omnes, regna, atq; imperia dilaberentur.
Prou. 11. Est igitur scriptum diuinitùs: Vbi non est gubernator,
populus corruet: Salus autem, vbi multa consilia.
Rom. 15. Et Apostolus: Principes nō sunt timoriboni ope-
ris, sed mali. Ex his constat, cur instituta sit potestas hec,
nimirum vt præsidio sint bonis, malis autem terrori,
nec patiatur pacem turbari. Quam autem coniunctum
hoc sit cum officio Magistratum, ex illo etiam quod
Paulus Timotheo suo præcipit, haud obscurè intelli-
gitur: Obscro igitur (inquit) primùm omnium fie-
ri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum
actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus &
omnibus qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam
& tranquillam vitam agamus cum omni pietate & ca-
stitate. Sed vt cognoscere possimus officia & eorum
qui sunt cum potestate tali, in eos quos in potestate
habent, & vicissim horum in illos, singula hoc loco
1. Tim. 3. aliquantò

aliquanto distinctius pertractabimus.

73

Magistratum, vt ostendimus, officium est, vt pacem & tranquillitatem Rerum publicarum tueantur. Id quod cōsequi non possunt, nisi legū & iuris æquabilis rationem habuerint, & Iudicia ipsorum fuerint benè constituta. Nam vbi cunque hæc vigent, facile vnuſquisque ius suum contra alterum, à quo Iesus est, obtinere potest. Ibī etiam animaduertitur in sceleratos, vt causa non sit, cur quisq; se vi vlciscatur. Quod ad auertendos à Republica motus atq; seditiones tam aptum est, quam quod aptissimum. Quo magis ad eam curam incumbere debent iudices atque Magistratus, vt ius æquabiliter dicant, nec odio, gratia, aut largitione vlla se transuersum agi patientur. Hinc sanctio illa Deuteronomij: Iudices & Magistros constituies in Deut. 16. omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dedit tibi per singulas tribus tuas, vt iudicēt populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent. Non accipies personam nec munera: Quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. Atque vt Respublica tranquilla esse possit, Magistratus ipsi improbos atque sceleratos coercere debent: in quam etiam rem Deus ipse eis potestatem gladij adiunxit Rom. 13. videtur.

Porrò Magistratus non solum id procurare debent, vt Respublica in qua versantur, sit pacata atque tran-

K quil-

quilla, sed etiam ut honesta & bonis rebus florens, & talis, vt in ea scelerati non facilè religionem veram cōuellant. Nam quod paterfamilias tribuere debet familiæ suæ, quam regit, idem nisi Magistratus Reipublicæ, quam gerit, tribuat, in officio suo turpiter claudicat. Est quidem vnaquæq; familia per se velutì parua quædam Respublica, & Respublica tanquam magna familia. Neque enim ea existere potest, nisi è multis familiarum domibus conglutinetur, & in vnum velutì corpus coalescat. Quarè vt paterfamilias bonus non solùm id agere debet, vt familia habeat vndè alatur, vestiatur, sustentetur, sed etiam, vt sit benè morata: ità Magistratui curandum est, vt non solùm populus, quē in potestate sua habet, sit quietus, sed vt idem etiam ad benè, honestè, laudabiliterque viuendum excitetur: Nec excitetur solùm, sed etiam in hoc ipso officio contineatur, eiisque caueatur, nè in vero pietatis officio ab ullo seditiosorum hominum tumultu turbetur. Nam vt constat è testimonio, quod paulo superius produximus, is demùm fructus è munere Magistratum & sperandus est & capiendus, vt quietam & tranquillam vitam degamus cum omni pietate & castitate. Quo minus ijdem patiantur Reipub. mores veteres atque instituta bona labefactari: Nam vt antiquus ille Poëta scripsit,

Moribus antiquis res stat Romana viris que.

Cui

Cui affine est illud, vt boni p̄em̄ijs ornentur, mali au- 75
tem p̄œnis atque supplicijs coērceantur. Extat enim
hoc Solonis dictum plenum prudētiæ, Rempublicā
p̄mio & p̄œna contineri. Et illud etiam Petri, Subie- 1. Pet. 2.
cti igitur estote om̄ni humanę creature propter deum,
sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquām ab
eo missis ad vindictam malefactorum, laudē verò bo-
norūm. Quæ cùm ità sint, statuendum est, ad officium
boni Principis atque Magistratūs vehementer perti-
nere, vt quam moderatur Rempublicam, ea bona sit
atque benè morata: Et si quid vitiorum sit atque scèle-
rum, id ex ea tanquām è bono agro frutex quidam ma-
lus, primo quoque tempore euellatur, nec bonis atq;
de Repub. benè merentibus non decernatur honor,
nec malis atque sceleratis non iusta p̄œna infligatur,
vt in eadem Republica nihil sit beatius quām hone-
stè, & nihil miserius quām turpiter viuere. Iam vidi-
mus qua ratione Magistratus ciues suos benè, & ità re-
gere possint, vt hoc eorum officium diuinitūs appro-
betur, & felix sit faustumque. Nam plerunquè bonus
euentus bonis horum cùm consilijs, tum verò etiam
factis respondere solēt. Et tanto id quidem magis,
quanto minùs à regulâ iustitiæ deflectunt. Scriptum
est enim diuinitūs, idcīrcō constitutos esse Reges à 3. Reg. 9.
Deo, vt faciant iudicium & iustitiam.

Quòd autem ad emolumenta atq; commoda Ma-
K ~ 2 gistra-

Rom. 13. gistratum attinet, vt equum est & iustum, eos è publi-
co habere, vndè pro dignitate sua cōmodè viuere pos-
sint, (Nam cui tributum, tributum: cui vectigal, vecti-
gal, inquit Paulus) ità cauere debent ipsi, nè priuatum
suum commodum communi anteferant: quod con-
tra naturam esse, etiam Philosophi, si qui sapientio-
res fuerunt, agnouerunt. Cauere item debent, nè po-
pulis suis duriores sint, quām ferat charitatis lex. omnes
paterna benevolentia complectantur, nulli eorum,
quos in sua potestate habent, vllam iniuriam inferāt,
& contenti sint ordinarijs tributis, eaq; non augeant,
nisi fortè casus aliquis contra voluntatem ipsorum ità
tulerit, vt ad tēpus necessariò augenda sint. Quin rem
familiarem suam ità curent, vt eis non facilè opus sit,
hominibus, quos regunt, extra ordinem pecuniam vī
lam imperare: Et amoueant à se eos, qui improba cal-
liditate nōrunt exprimere pecunias è miseriis colonis
atque ciuibus. Quod genus hominum vt perniciosissi-
mum est rebus publicis, ità minimè ferendum, cùm
neque honestatis, neque equitatis, neque communis
boni rationē vllam habeat, sed omnia vtilitate priuata
atque quæstu turpi metiatur. Et principum animos,
à quibus audiuntur, ità corrumpt, vt ad nihil minūs
apti sint, quām ad respūblicas suas benè gerendas. At-
que vt rem paucis complectar, Magistratum Christianum
talem esse oportet, vt non ad suam, sed ad com-
munem

munēm vtilitatē referat omnia: nec minūs faueat po- 77
pulis suis, quām pater liberis: quod qui facit, & charita-
te atq; iustitia in procuratiōe muneris sui se duci pati-
tur, eius res secundæ prorsūs esse consueuerunt. Nam
vt Salomon scripsit, Iustitia regum facit thronum eo- Prou. 17.
rum fortunatum, idē; non minūs, quām Tyrannorū
exitus tristes sunt atq; perhorrescendi. Hæc ferē sunt,
quæ de officio Magistratum scribenda putauit.

Sub eandem ferē rationem cadunt, quæ ad Eccle-
siasticam potestatem pertinent. Nam cùm omnis ho-
minum societas non modò non florere, sed ne stare
quidem possit, nisi habeat, qui eam regant: Ecclesiæ
etiam Episcopos suos habere oportet, qui eas mode-
rentur. Horum præcipua munera sunt, attendere, pa-
scere, regere: tum attendunt rectè, cùm tanquām in
specula collocati prouident, nè quid detrimenti ecclæ
siæ capiant, siue à seipsis, siue à pseudoprophetis. Ne-
que enim ignotæ sunt hæ Domini voces: Clama, nè Esaia 58.
cesses, dic populo tuo peccata sua. Item, Et tu fili ho- Ezech. 33.
minis, speculatorum dedi te domui Israel: audiens er-
gò ex ore meo sermonem, annuncias eis ex me: si
me dicente ad impium, Impie morte morieris, non
fueris loquutus, vt se custodiat impius à via sua, ipse
impius in impietate sua morietur, sanguinem autem
eius de manu tua requiram. Si autem annunciant te
ad impium, vt à vijs suis conuertatur, non fuerit con-

78 uersus à via sua, ipse in iniuitate sua morietur, porrò
tu animam tuam liberasti. Paulus autem in Actis Apo-
Auctor. 20. stolorū ita affatur Episcopos Ephesios: Attēdite vo-
bis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus po-
suit Episcopos regere Ecclesiā Dei, quā acquisiuit san-
guine suo. Ego scio quod intrabūt post discessiōnem
meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, & ex
vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt addu-
cant discipulos post se.

Quod autem ad ipsum pascendi munus attinet,
cum eo recte funguntur Episcopi, cùm verbum Dei
& sanam doctrinam tanquam pabulum animæ salu-
berrimum gregi præbent, aut præbendum curant, &
cauent, nè hæc quasi lympidissima aqua vlla supersti-
tione aut hæresi inquietur, néve Sacraenta, quo-
rum vberrimus est fructus, non ritè dispensentur: Pa-
scite, inquit Petrus, qui in vobis est, gregem Dei, non
coacte, sed spontaneè, neque turpis lucri gratia, sed
voluntariè, neque vt dominantes in cleris, sed forma-
facti gregis: Et cum apparuerit princeps pastorum, ac-
cipietis immarcescibilem gloriæ coronam.

I, Pet. 5.

Iam regendi potestas in eo cōsistit, vt grex in offi-
cio recto contineatur, & vt caueatur, nè desint qui
eundem salubriter pascant. Hinc illud Lucæ in Actis
Apostolorum: Ministrantibus autem illis Domino,
& ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus; Segregate
mihi

mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi 79
eos: tunc ieiunantes & orantes, imponentesque eis A&to.13.
manus, dimiserunt illos. Quin hos etiam eosdem,
quos ita crearūt, sacerdotes aut ipsi Episcopi, aut par-
chidiaconos suos instituant, atque institutos Ecclesiæ
muneribus admoueant, atque hoc ipsum quanto &
utilius fuerit, & necessarium magis, tanto magis cauere
debent ijdem Episcopi, ne improbi aut inepti ad sa-
cerdotia & munera Ecclesiastica obrepant. Quod
ipsum nisi quantum in eis est, cauerint, non solùm sua
ipsos, sed etiam aliena peccata prement. Et quāquam
Episcopos decet mansuetudo, tamen ne accidat eis,
quod Heli sacerdoti, eō quod filijs suis nimis indulse-
rat, impunitatem criminum neque clero suo, neque
populo concedere debent: Neque enim frustrà pote-
stati Ecclesiastice datum est ius excommunicandi, vt
quos authoritas legis à sceleribus non auertit, eos me-
tus pœnæ deterreat. Quin eam etiam potestatem ha-
bent, vt Synodos cogere, eisque præesse, & Diceceses
visitare, coercere malos & bonos ornare possint. Adde
quod iij, qui cum potestate sunt Ecclesiastica, ita viue-
re debent, vt non solùm boni sint ipsi, verùm etiam
exemplum gregis.

Hinc illud Apostoli ad Titum: In omnibus te ipsum Tit.2.
præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in
integritate, in grauitate, verbum sanum, irreprehensi-
bile,

80 bile, ut is qui exaduerso est, vereatur, nihil habes malum
dicere de vobis. Et cum Episcoporum atque pastorum
munus maius quiddam sit atque diuinius, quam ho-
mines vulgo opinantur, & ipsi personam Christi quo-
dammodo sustineant, cum scriptum sit diuinitus: Qui
Iean. 30. vos audit, me audit: Certe quanto maior est horum digni-
tas atque potestas, tanto grauius delinquunt, & deum
iustum offendunt, qui cum hanc obtineant, quae sua, non
autem quae Christi & ouium sunt querunt: nec gregem,
sed se potius pascunt. Si paterfamilias quispiam con-
duceret pastorem aliquem, & hic nullam gregis ratio-
nem duceret, sed mactaret, si quid est pecore esset pin-
guis, & deuoraret: quid quae so, quid huic tandem pa-
terfamilias ficeret? an non in eum acriter statueret, &
improbum hominem male mulctaret? An censes deum
permissurum esse, ut mali Episcopi atque pastores si-
miles scelus impunemente ferant? Sed audi favebam illam dei
vocem apud Ezechiel: Vnde pastoribus Israel, qui pa-
scabant semetipsos: nonne greges a pastoribus pascu-
Ezech. 34. tur? Et non ita multo post: Ecce ego ipse super pastores,
& requiram gregem meum, & cessare eos faciam, ut ul-
trâ non pascant gregem meum, nec pascant amplius
pastores semetipsos. Quarè hoc cogitent clerici omnes,
ut si needum ad munus pascendi accesserint, ne idem
temere, neve malis artibus ambiant, aut si iam suscep-
rint idem, ne eo ipso non gnauiter fungantur. Quin
cogi-

cogitent, si deseruerint officium suum, in periculum adduci non solum suam, sed etiam gregis Christi salutem: ac si periérat h̄ic, damnū hoc grauius fore, quām ut revlla sarciri possit. Planum fecimus iam, qua ratione ij, qui cum potestate sunt, vel ciuili, vel Ecclesiastica, se gerere possint, ut non modò non à conscientia bona discedat, sed etiā à deo immortali gratiā ineant.

NVNC quæ Magistratibus, Episcopis, atque Pastoribus officia vicissim tribuere debeant ij, qui in potestate horum sunt, ostendemus. Ac primum Magistratum quisque suum atque principem obseruare, & honore afficere debet. Nam cui honorem, honorem, inquit Paulus. Cum quo officio coniunctum est, vt horum etiam dicto audientes sint, nec imperium eorum temerè recusent, nec iudicia atque sententias contemnant. Quin illud Salomonis in animis suis perpetuò habeant: Eum qui prouocat regem, in animam suam peccare. Et illud Pauli: Eum qui resistit potestati, voluntati diuinæ resistere, cùm omnis potestas à Deo sit: veruntamen si contra aliquem iniquè vel iniustè pronunciatum sit, licebit huic à Magistratu aut principe ad superius, si quod est, tribunal p̄uocare. Neque enim iniuriam facit vlli, qui iure suo vtitur: Alioquin Paulus à Festo præside Romano ad Imperatorem Romanum non prouocâsset. Idem iuris est, si quem princeps eius aut Magistratus lædat, &

Rom. 13.

Rom. 13.

Acto. 25.

L idem

82 idem se Iure legibus defendere possit, vt liceat huic
defensionem suscipere præsertim si zelo iustitiæ du-
catur. Sed quid si princeps, aut Magistratus ciuem ali-
quem suum vi & armis opprimere vellet? Liceret ne
huic contrà arma ferre? minimè istud quidē. Nam quā
defensionem naturæ Lex permittit, contra alios, qui
pares sunt nobis, permittit, vt vis vi propulsetur: id nē
fiat contra principes atque Magistratus, Lex atq; aper-
ta Dei voluntas interdicit. Omnis anima, inquit Pau-
lus, potestatis sublimioribus subdita sit. Non est
enim potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo or-
dinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinati-
oni resistit: qui autem resistit, ipsi sibi damnationem
acquirunt. Et quanquam durum est, iniuriam ferre ab
eo, à quo minimè oportet, & sub cuius tutela ipse con-
tra alios tutus esse debeat, cogitet tamē idem, hypocri-
tam regem dari propter peccata populi, & rationem
ineat eam, vt cedat duriori domino, & quicquid indè
accidit mali, cum patientia in bono vincat: corrigat se
ipsum, & inuocet nomen dei, si quomodò dei benefi-
cio animus principis aut magistratūs peracerbus fleat
atq; mitigari possit. Ac si fortè Princeps aut Magistra-
tus bellum iustum pro repub. atque patria gerere ve-
lit & arma imperet, pfecto oportebit ciues eadē cape-
re: aliás in potestate gladij, quam à Deo accepit, non
tantum præsidij effet rebus publicis, quantū res & pu-
blica

Rom. 13.

Iob 34.

blica salus postulare videtur. Habent quidem h̄c cuncti principes atque Magistratus nostri, quod à populis suis iure quodam suo exigant: Et quanto id magis est republica esse intelligunt, tanto minus committendum putent sibi, ut Imperatori nostro contra hostes patriæ arma imperanti, non ipsi etiam pareant. Non enim minus in eiusdem Imperatoris potestate sunt quam iij, quos regunt, in sua ipsorum potestate.

Quod autem ad censum principum & Magistrorum attinet, ut hi cauere debent, ne tributis extra ordinem imperandis duriores sint populis, quamlibet libertas eorum iusta ferat: ita vicissim populi caueant, ne que tributa debent eis ut Dei ministris, non pendant: quin hec tanto alacrius pendere debent, quanto agnoscunt equius esse, illos alieno publico, in quibus tantum praesidijs positum habent. Date Cesari que sunt Cesaris, inquit Christus ipse. De qua etiam re pulcherrime Paulus, qui ^{Matt. 22.} Magistratum Dei Ministrum appellat. Etsubiungit: ^{Rom. 13.} Ideo enim & tributa praestatis: Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui honorem, honorem. Hæc hactenius de officio cum singulorum, tum cuncti alicuius populi erga principes Magistratusque suos.

Reliquum est, ut ea etiam quæ Christiani omnes Episcopis atque pastoribus suis officia prestare debent, consideremus. Ac primò quidem ita fert ratio, ut si ci-

84 uili potestati, multo magis Ecclesiasticæ sit obedien-
dum. Quippe cùm hæc multò vberiorem quā illa
fructum ferat, & cum ijs, quæ æternam salutem pari-
unt, sit coniunctior. Hinc illud apostoli: Obedite præ-
positis vestris, qui vigilant pro animabus vestris. Tan-
tum abest, vt alicui hominum Christianorū authorita-
tem & potestatem spernere liceat, nihil vt ei minus li-
ceat, cùm præsertim Christus illis suā ipsis personam
quodammodo imposuisse videatur. Cautum igitur
est iure publico, nè antē deserat eos populus, quām au-
thoritate publica moti sint loco, aut in hæresim aliquā
damnata mōtū inciderint, nè si liceat populo Episcopum
atque Pastorem arbitratu suo repudiare, pastores non
amplius gregibus, sed greges pastoribus legem dare
videantur. Quod quale fuerit, & ab omni ratiōe quām
alienum, quotusquisque est qui non intelligit?

1. Cor. 9. Iam qui in potestate Episcoporum atq; Pastorum
sunt, vt his obedire atque honorem habere, ita etiam
censum, vndē viuant, præbere debent. Nam vt scriptū
est ab Apostolo: Quis militat stipendijs suis vñ quām?
Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis
pascit gregem, & de laetē gregis non manducat? Nun-
quid secundūm hominem hæc dico? an non Lex hæc
dicit? Nō alligabis os boni trituranti. Nunquid de bo-
bus cura est D E O? an propter nos vtique hæc dicit?
Nam propter nos vtique scripta sunt: quoniam debet

in

in spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Itaque qui censum Episcopo atque Pastori suo, quem debet, non soluit, aut corundē emolumenta aliās interuerit, hic certè in legem Dei committit,

Ac si in Republica eius, qui ledit Maiestatem principis, grauissimum est scelus: quanto grauius est scelus eorum, qui & Episcopos Pastoresq; suos oppugnant, & Ecclesiam matrem quæ ipsos Christo genuit, schismate lacerant? Quo magis ab hoc scelere Paulus Apostolus nos omnes deterret, dum id in eo ponit generē, quod & à societate Christianorū auellat, & regno cælorum excludat.

Gal. 5.

Sed ut finem faciam eorum, quæ ad hoc caput Decalogi pertinent, dicimus ad extremum, quicquid vel ciuilis vel Ecclesiastica potestas præcipit, ei obediendum esse, dum modò potestas superior contrariū non imperet. Agè quia D E V S est Rex Regum, & omnes omnium ordinum homines sua potestate complectiuntur, certè nullus est in terris summorum Principum, qui huius lege non teneatur. Itaq; si hi contrà, quam ille sanxit, aut imperent quippiam, aut constituant, inane est istud quidem, nec ullam adstringēdi vim habet: Quippe cùm istud Petri, immò Spiritus sancti per Petrum loquētis, perpetuò verum sit, nos Deo magis, quam hominibus obedire oportere.

Act. 5.

Sed quid si inferior aliquis Principum aut Magi-

L 3 stra-

86 stratum imperet idem populis suis, quod superior, in cuius ipse potestate est, Princeps vetat? vtri horum populos parere oportet? certe superiori. Quid ita? quia quod contra leges superioris ab inferiore, qui in eius est potestate, præcipitur; dubium nō est, quin irritum sit atque iniustum. Ac nè dubites, quin superioris imperio quisq; contrà, quām inferior præcipit, stare debat: Cogita Domini tui Dominum, etiam tuum esse Dominū, quemadmodūm Augustinus sapienter scribit: vt tanto minùs liceat tibi contrà facere, quām superior Dominus imperat, quanto minùs inferior Dominus imperare posset, nisi causam, potestatemque à superiore Domino haberet, Verùm nunc ad reliqua.

QVINTVM PRAECEPTVM: *Non occides.*

Matth. 7.

Iob 4.

QUOD in natum est cuique, vt quod sibi non vellet fieri, alteri nè faciat, idem Lex Christianæ charitatis præscribit. Itaque cùm nolis tibi fieri iniuriam, caue alteri eam inferas. Hoc autem præcepto iniuria, quæ corpus alterius ledit, prohibetur, siue pulses eum, siue occidas. Et quanquām magistratibus, qui potestatem habent gladij, licet in sceleratos animaduertere, eosq; morte mulctare, vt suprà docuimus: tamen priuatis nō licet ullius sanguinem haurire, aut ullius corpori manus asserre. **Quo** magis hoc iniuriæ genus fuge

gere debemus, cùm pr̄esertim Christus ipse dicat, fore 87
vt qui gladio ferit, gladio pereat, Et in eandem senten Matt. 26.
tiam scriptum sit in libro Geneseos: Quicunque effu-
derit humanum sanguinem in terra, fundetur sanguis Genes. 9.
illius. Huic tanto tamq̄ue immani sceleri quām gra-
uiter irascatur deus, documentum statuunt multorum
hominum casus, & ij quidē perhorrescendi. Ac si qui
priuatim vim atque iniuriam inferunt proximis suis,
contrahunt sceleris tantum, & Dei iram iustam in se se
concitant: quanto deterior est cōditio eorum, qui vel
ip̄si bella iniusta suscipiunt, vel eorundem sunt autho-
res? Cuius quidē facinoris vis non potest nō cum m̄al
torum iniuria coniuncta esse. Cogitent h̄ic homines
crudeles & appetentes fundendi sanguinis humani,
cūm tam graue sit & perniciosum, culpam ipsos præ-
stare vnius hominis cæsi, quid tandem futurum sit ijs,
si sanguinem tot hominum exorbiunt. Ac quia ora-
tio nostra sensim delapsa est ad bestialia, non alienum fue-
rit ab instituto nostro, si quæcāe horum iure atq; iniu-
ria mihi in mentem veniunt, subiunxero. Igitur sic ha-
betote, bellum iustū geri, non posse, nisi & is, qui idem
suscepit, potestatem ius gerendi habeat, & causa ipsa,
cur bellum suscipitur, sit iusta, & nisi ad idem ipsum
animus rectus bellatoris accedat. Nam bellum in quo
non dico tria hæc, sed vnum horū desideratur, quem-
admodūm defendi & sine Dei offensa geri possit, non
equi-

Contra Faust. 22. cap. 74.

equidem reperio. Constat, penè Principes, qui potestatē gladij habent, ius esse bellandi: Quippe cùm ordo naturalis, ut Augustinus ait, mortaliū paci accommodatus, poscat, ut suscipiendi belli authoritas atque consilium penè Principes sit. Nam ad horum officium propriè pertinet, non solum consilio tueri Rem publicam, quam gerunt, sed etiam armis defendere. Non enim frustrā portant gladium: Dei enim ministri sunt, vindices in iram ijs, qui malè agunt, ut scriptum est ab Apostolo.

Rom. 13.

Etsi autem ei, cui deus gladium quodammodo ipse porrexit, bellum gerere licet, tamen hoc idem iustum non fuerit, nisi causa, cur id geratur, iusta sit. Iusta autem tunc fuerit, si non inferatur iniuria, sed depellatur: nisi forte, quod infertur bellum, defensionis habeat vim: ut si respublica tua quieta esse haud possit, nisi vicinū insolentem ac turbulentum vi atque armis fregeris: ut si quis Christianorum principum hoc tempore Turcæ bellum inferat, iustissima de causa id facere videatur: Cùm, nisi huius importunissimi atque truculentissimi post homines natos Tyranni, qui nullum facit de nobis malè cogitandi finem, potentia debilitata fuerit, nos omnes magno in discrimine versari necesse sit.

Verum ut in hoc toto genere temeritas vitari possit, Principes qui ius suū contra Christianos iure & legibus

bus aut tueri aut obtinere possunt, rem vi gerere minime debent. Quod nisi cauerint, non iam hominum, sed belluarum similes erunt, Deum offendent, & à recta conscientia omnino discedent. Sed si qui fortè bona rapuerunt, aut vim atque iniuriam alijs intulerunt, stare nolint legibus atque iudicijs, nec habeant principem, qui eos coercere vel possit vel velit: certè licet principi, qui aut cuius populi iniuriam acceperunt, latrones istos armis captis comprimere, & ab eis, quæ rapuerunt, iure quodam suo non solum repetere, sed etiam auferre: alioquin potestas gladij, quam à Deo accepit, nec sibi, nec populo eius contra sceleratos sati præsidij afferre possit. Hinc Augustinus iusta bella definit, quæ vlciscuntur iniurias, si gens vel ciuitas plena est, quæ vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per iniuriam ablatum est.

Nunc verò, ut & qui bellum gerit, huius rei potestatem habeat, & causa item belli iusta sit, ipsum tamē iustum non fuerit, nisi animus & principis, qui indicit bellum, & militis qui huic operam suam nauat, sit rectus. Quo minus is, qui aut cupiditate nocendi, aut feritate rebellandi, aut libidine dominandi, aut quæstus alicuius gratia, aut alia quadam simili de causa in Militia versatur, siue princeps, siue miles, habet quo se purgare possit.

M Sed

Sed quid si principis animus rectus sit, militis autem non item? certe miles dum non animo eo, quo debet, hoc est, aut defensionis aut pacis tuendæ causa bello interest, delinquit: Princeps tamen cuius conscientia recta est, nulla grauiore culpa premitur. Quid verò si principis animus rectus nō sit, an miles sub hoc rectè & sinè ullo conscientiæ scrupulo merere potest? Aut constat de praua principis voluntate, aut de causa belli non iusta: certè hīc nec miles animum rectum afferre potest, eo que minus iustum est quod agit: aut non constat de tali principis voluntate, nec causa belli videtur iniusta: certè hīc militis animus rectus esse, & imperata principis facere sinè iniuria potest, etiam si opinio eum sua de volūtate principis & cauila belli fallat. Nam cùm ei quod rex aut princeps in castris imperat, certum sit nō contra Dei p̄ceptū esse, vel vtrūm tale sit, incertū, si pāret, & eatenūs ordinem atque instituta ciuilia sequitur: ipse quidem innocentiam suam retinet, Rex autem seipsum iniquitate imperandi reum facit, vt visum fuit Aurelio Augustino. Ac nē callida hominum interpretatio id, quod in hoc genere certū est, incertum faciat, sic habetote: bellum quod ita suscipitur, vt aut pacem reip. publicam turbet, aut Maiestatem Imperatoris lædat, iustum esse non sanè posse. Quo magis caueāt milites nostri, qui in militiam proficisci consuecrunt, nē contra patriam eiusque principes

cipes pugnēt. quos maiores nostri si quādō ab exteris Regibus cōducerentur, in Sacramēto militari semper exceperunt. Atque hoc vt facerent, non solum Legibus & bonis maiorum nostrorum moribus, sed ipsa etiam lege naturę adducti fuerūt: Quippe cūm ij, quorum natura bene cōstituta est, vitam amittere mālint, quām contra patriam arma ferre. caueant item milites nostri, nē ob eam tantūm causam in castra se conferāt, utrapiant, & ex alieno quasi sanguine crescant. Quod non militum, sed latronum esse quotusquisque est q̄ non intelligit? Arbitramur ex his perspicuū esse, quatenus iusta militia ab iniusta discerni possit, ac principes & milites vel peccant vel non peccat, si alteris vim atque manus afferant,

Atque vt de bello concludam: Si vllis, certè Christianis elaborandum est, vt quod in castris agunt, non solum iustum sit, sed etiam cum benevolentia erga hostes coniunctum. Hæc est enim propria Christianorum virtus, vt quoād eius fieri potest, viētis parcant, in eisque seruandis præclara statuant clementiæ documenta, & hostes non vt non sint, sed vt meliores fiat, comprimant: quod tum vslu venit, cūm eisdem licentia iniquitatis eripitur, vt Augustinus ait. Hæc hactenūs de bellorum ratione.

Nunc quod reliquū huius præcepti est, persequar:

M 2 vetat

92. vetat hoc idem nè cædem facias. Ad hoc caput si quan-
dò charitas accedit, illud quidem existit, vt non solùm
cædem non facias, sed nè velis quidem facere. Quod
ipsum ad officiū Christiani hominis vehementer per-
tinet: Quippe cùm Christus exigat ab eo nòn solùm,
vt manus abstineat à proximo suo, sed etiam vt non
irascatur, aut ullam irati animi vocem edat. Quin hoc
etiam præscribit Lex charitatis, (quæ è vita & moribus
Christianorum lucere debet) vt non solùm ijs, qui be-
nè de nobis merentur, sed etiam malè merentibus be-
nefaciamus. Tantum nanq; abest, vt aliquis priuato-
rum vindicandi causa proximum iure lädere possit.
Et quanquam huic licet ius suum in iudicio persequi,
id tamen non odio eius, quocum litigandum est, inci-
tatus, sed benevolentia potius & zelo iustitiæ ductus,
faciat.

Et quia de eo iniuriæ genere, quo corpus cuiusq;
læditur, satìs dictum est: venio nunc ad alterum, quo
nimirùm existimatio alicuius imminuitur: quod etiā
ipsam legem charitatis vehementer violat, cùm præ-
fertim inuenias homines honestos & magnis animis
præditos, qui omnia mālint, quam honorem amitte-
re. Et sub hoc genus cadit contumelia omnis & iniu-
ria, quam verbo quisq; alteri facit. De quibus ità Chri-
stus: Audistis quia dictum est antiquis: Non occides.
qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico
vobis,

vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iiii- 93
dicio: qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit con Mat. 5.
filio. Quocirca Salomō præcipit: Remoue à te os pra- Pro. 4.
uum, & detrahentia labia sint procūl à te. Quòd reli-
quū est, vt nulla iniuria afficere debemus proximum
nostrum, itā hunc iuuare, & quotiēs opūs est & possu-
mus, ab eo iniuriam omnem propulsare debemus: Id
quod officij Christiani ratio postulat, & talē omnino
est, vt sinē crimine prætermitti minimē possit.

SEXTVM PRAECEPTVM:

Non adulteraberis.

IRA, libido, & avaritia sunt cupiditates illæ homi-
num, quas nisi charitas Christiana represserit, so-
cietas inter eos rectè coli minimè potest. Ira parit pu-
gnas & cædes, libido adulteria & stupra, avaritia autem
furta & direptiones: quibus si qui obediunt, hi certè
tam alieni sunt ab omnium hominū iure sociatorum
coetu, vt non iam homines, sed belluae quædam esse
videantur. Quin quandiu his cupiditates illæ impro-
bæ dominantur, tam diu mentes eorum à statu suo
itā dimouent, vt Spiritus sanctus in eis nō modò non
vigere, sed ne sedem quidē suam collocare possit. Quæ
enim coniunctio spiritui huic tam sancto, cum impu-
ris atque improbis animi motibus atq; affectionibus?
Itaq; cùm de proximo legis capite ea attulerimus, quæ

M 3 ardo-

94 ardorem iræ, si non omnino extinguere, tamen moderari possint. Nunc quomodo materia libidini subtrahi, & caueri queat, nè ea exardescat nimis, & charitatem, quæ est certissimus spiritus fructus, excludat, ostendam, cùm fieri non sanè possit, vt is, qui in potestate est cupiditatis illius prauæ, vel Deum, vel proximum, vt debet, diligere possit.

Ac primò quidem lex Dei, vt coérceat libidinem, adulterium prohibet. Quod scelus cùm per se fœdum est, tum ita pugnat cum charitate fraterna, nihil ut magis pugnare possit. Quid enim bono atque honesto viro molestius atque acerbius accidere potest, quam si in domum eius tantum dedecoris inferatur? Ac cùm corpus vxoris in potestatem viri, & vicissim viri corpus in potestatem vxoris cōcesserit, quo tandem iure vel illa vel hic potestatē corporis eiusdem sui alteri facere potest? Si quæ Magistratus sanxit, non violare debet, qui in Republica eius viuit: quanto minus institutum Dei de indiuidua vnius mariti cum una coniuge societate, violare ulli hominum licebit? Quæ cùmita sint, præclarè intelligitur, & graue scelus in se admittere adulteros, & iustum DEI voluntatem vehementer offendere. Quo maiore nos severitate Apostolus à tanto flagitio deterret, cùm ostendit adulterium esse opus carnis, quod nos hæreditate æterna excludit. Quales autem & quam terribiles Dei plagæ adulteris in

1.Cor. 7.

Galat. 5.

in hac vita immineant, declarant exempla Pharaonis, 95
Dauidis, Abimelech, & aliorum, quæ passim in sacris
scripturis & veterum monumentis extant. Nec igno-
tum est illud Salomonis: Non grandis est culpa cùm
quis furatus fuerit: furatur enim, vt esurientem im-
pleat animam: Qui autem adulter est, propter cordis
inopiam perdet animam suam.

Ac quia non satis est abstinere adulterio, nisi eti-
am voluntas tua ab eo abhorreat, Christus ipse summa
authoritate dixit: Audistis quod veteribus dictum est, ^{Matth. 5.}
Non mœchaberis: Ego autem dico vobis, quia omnis
qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam
mœchatus est in corde suo. Iam etsi adulterium graui-
us est peccatum quām scortatio, tamen quia hæc ex
eodem libidinis fonte manat, ipsa etiam peccatum est
lœtale, & tale prorsus, vt nos à regno cælorum arceat.
Neque id iniuria. Nam cùm Deus omnium, qui ex se
nati sunt, corpora in Baptismate ità consecrauerit, vt
sint Spiritus sancti templa, sîne graui scelere pollui per ^{1. Cor. 6.}
scortationem non sanè possunt. Et cùm item corpo-
ra nostra membra sint Christi, quæ cum Domino no-
stro in resurrectione mortuorum reuiuiscere debent,
quo iure tandem corpus suū adimere quispiam Chri-
sto & scorto fœdo adiungere atque tradere potest? Is
autem se tradit ipsis, qui in Venerem ità ruit, vt vnum
cum scorto fiat corpus.

Ita-

96 Itaque ut cum Apostolo concludam, quod hic Corinthijs dixit, Fugite fornicationem, vobis omnibus dictum existimate. Ac quo magis ab hoc crimine deterramur, Deus huic & æterna & temporalia supplicia proponit. Nam ut Propheta Oseas inquit: Auferra cor, & à statu mentis suæ hominem deicet, & in p. 4. riculum corporis & vitæ eum adducit. Nam ut Salomon inquit, fouea profunda est meretrix, & puteus angustus aliena: insidiatur in via quasi latro, & quos incautos inuenerit, interficiet. Et Apostolus numerat Pro. 5. 22. fornicationem in operibus carnis, quæ qui agunt, regnum Dei non consequentur.

Nec solùm factum hoc turpe est, sed etiam voluntas eius atq; cupiditas, quæ consensum in idem elicit, qualis eadem in omnibus alijs, quæ lege diuina prohibentur, esse videtur. Quin non solùm cupiditas atq; voluntas mali illius noxia est, sed ipsa etiam occasio, si eam vitare possis, & non vites. Nam nō solùm à complexu eius cuius cōsuetudo tibi fraudi fuerit, te remouere, sed nec eam sic adspicere quidem debes, vt cupiditati tuae indulgeas. In quam sentētiā scriptum est Matt. 5. diuinitū: Audistis quia dictū est antiquis, Non mœchaberis: Ego autem dico vobis, quia omnis qui vide Exo. 20. rit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo. Quod si oculus dexter scandalizauerit te, erue eum & proijce abs te. Sub idem genus cadit eti-

dit etiam ingluies ventris, quæ cùm per se est pecca- 97
tum, tum libidine ità accedit hominum animos, vt Pro. 13.
in stupra atq; adulteria præcipites ruant. Hinc illa Pau- Röm. 13.
li Apostoli admonitio: Nox præcessit, dies autem ap-
propinquauit: Abijciamus ergò opera tenebrarum, &
induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulem⁹,
non in comedationibus & ebrietatibus, non in cubi-
libus & impudicitijs, non in contentione & æmulati-
one, sed induimini Dominū Iesum Christum, & car-
nis curam nè feceritis in desiderijs. Quin etiam sermo-
nes obscœni excitant hominū libidinem. Quarè hoc
quod Apostolus præcepit, in animo vestro semper ha- Ephes. 5.
betote: Fornicatio autem & omnis immunditia aut
avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos,
aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, que ad
rem non pertinent, sed magis gratiarum actio.

Verùm vt & adulteria & scortationem omnem &
quicquid criminibus hisce causam præbet, vitare nos
oportet, ità nihil nobis debet esse antiquius, quam vt
castè, sancte que viuamus. Hæc est enim voluntas Dei,
inquit Paulus, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à
fornicatione, vt sciat unusquisque vestrum vas suum
possidere in sanctificatione & honore, non in passio-
ne desiderij, sicut gentes quæ ignorant Deum. Quod
ipsum vitæ ei quam secundum spiritum degere debe-
mus, tam aptum est, quam quod aptissimum.

N SE

Non furtum facies.

PROXIMA superiora legis capita interdicunt, non vel caedem faciamus, vel adulteria committamus. Hoc vero legis praecepto apte furtum prohibetur. Neque vero dubium est, quin homines inter se amareter viuere possint, si alter alterius neque corpus lædat, neque honorem atque existimationem imminuat, neque rem eius familiarem ipso inuito contrectet atque auferat. Nam si quid aliud, certe horum contraria societatem hominum perturbant, labefactant, disiiciunt. Est fit, vt non solum lex Dei, sed ipsa etiam natura crima ista damnet atque detestetur. Neque enim gens vlla tam efferata est uspiam, quae ferendum in Republica sua putet, qui vel hominem occidat iniuria, vel thorum alienum adulterio polluat, vel de commodo alterius, sui commodi causa detrahatur. Atque hoc postremum eo est peius, quod est pessima radice, ex ipsa nimis avaritia, quam Apostolus idolorum cultui comparat, nascitur. Et quauis, si a iustitia originis nostrae non decidissimus, omnia haberemus communia, nec esset, cur rem pararet sibi quisque, tamen casus Adami, vt naturam nostram, sic etiam hanc rationem mutauit, & fecit ut quisque rem suam, vnde se familiamque suam alere poslit, habeat. Est fit, vt dominia reru distinguantur, id quod & iuris gentium est, & diuinitus ap-

Eph. 5.
Col. 3.

pro-

probatur. Itaque cum preter ea, quae vel communia sunt, vel publica, unusquisque; etiam quod suum est, proprietate habere possit, certe id ab eo inuito sine iniuria atque crimine auferri non potest, cum presertim lex dei sanxerit, Furtum ne feceris: hoc est, ne rem alienam inuito domino fraudulenter contrectaueris. Sed quia tamen ea est hominum conditio, ut non aequaliter omnibus suppetant omnia, sed multi multis etiam ad usus necessarios egeant: certe quo gentium iure distincta sunt dominia rerum, eodem inducti sunt contractus varij, i.e.; ad societatem hominum vitamque tuendam cumpromisi apti, nimirum ut quisque de eo, quo abundat, non inuitus communicet cum altero: Quod fit, siue mutuum det, siue commodet, siue emat, siue vendat, siue permuteat, siue locet, siue conduceat.

Mutuum qui dat, non id sive, sed alterius, cui dat, utilitatis causa facit. In quo tamen ipso cauet, ne ipse datum faciat. Nam ea huius contractus lex est, ut qui mutuantur aliquid, reddat non idem, sed aliud, eiusdem tamen cum natura tum qualitatis: Ut si verbi gratia decem aureos acceperit, totidem aureos reddat. Par ratio est etiam aliarum rerum, que in numero, pondere, aut mensura consistunt.

Nec minus commodatum gratuitum est, cum pro eo nihil mercedis exigat qui commodat, nec aliud postulat quamquam, quam ut res commodata sibi restitu-

N 2 atur,

100 atur, uterque contractus est benignitatis plenus.

Permutationis ea ratio est scilicet, ut qua quisq; re
abundat, eam permutet cum altero, ut vicissim accipe-
re possit quo eget. Quod nec ipsum illiberale est, si mo-
dò sinè fraude & dolo fiat.

Iam emptio atque venditio contractus tam gratui-
tus non est, ut mutuum & commodatum: sed non mi-
nus tamē honestus est, quām ipsa rerum permutation,
à qua ille differt eatenūs, quatenūs cōtrahitur, nō vt in
permutatione res pro re quacunq; cōmutetur, vt vinū
pro iumento, sed vt pro re ac merce, de precio, quod
in pecunia numerata consistit, conueniat.

Accedit ad hunc contractum locatio & conductio.
Atque hoc genus differt à commodato, eō quòd non
sinè precio contrahitur: ab emptione autem & vendi-
tione, quòd rei, quæ conductur, dominiū non trans-
fertur, sed res tantūm vtenda traditur. Sunt quidem hi
contractus ad tuendam hominum communitatēm,
societatemque cum primis vtiles, dum per hos quisq;
id quo eget, domino non inuito, ac sinè ullo eius da-
mno, acquirere potest. Ac si fortassis non habeas, vn-
dē vel emere aliquid, vel conducere, vel ex permuta-
tione rerū acquirere possis, quo vitam tueare, nec in-
uenias qui mutuum dare velit, non est tamen, cur ani-
mum propterea cōtrahas, & opineris te sinè furto aut
latrocinio viuere non posse. Etenim si quis ocio suo

non

non nimis delectetur, sed laboret & frugi sit, iusteque **101**
viuat, non deerit ei quo alatur. Neq; enim ignotum
est illud Salomonis: Non affligit Dominus fame ani- **Prou. 10.**
mam iusti, & insidias impiorum subuertet: egestatem
operata est manus remissa, manus autem fortium di-
uitias parat. Qui congregat in messe, filius sapiens est:
qui autem stertit æstate, filius confusionis. Hinc Apo- **Ephes. 4.**
stolus: Nolite locum dare diabolo. qui furabatur, iam
non furetur: magis autem operetur, laborando mani-
bus suis quod bonū est, vt habeat vnde tribuat neces-
sitatem patienti. Atq; vt fortè laborare quispiam non
possit, inueniuntur tamen inter Christianos boni vi-
ri, qui sua eos Eleemosyna atq; beneficentia fouent:
id quod & Deus præcepit, & ampla huic benignitati
præmia proposuit: Date Eleemosynam, inquit Chri- **Lucæ 11.**
stus, & omnia munda erunt vobis. Item, Qui petit à te, **Matth. 5.**
da ei. Habetis hīc vias ac rationes, per quas quisque re-
tē & sinē iniuria alterius, sibi parare possit vnde viuat.
Quo minūs cuiquam licet furari, aut alio quopiā per-
uerso modo aliena ad se transferre. Nam si quid aliud,
hoc certè humanæ societatis rationes conturbare, &
Dei atq; naturę legem violare videtur. Itaque vt Deus
furibus grauiter sanè irascitur, sic etiā latronibus. No-
lite errare, inquit Paulus: neque fornicarij, neq; idolis
seruientes, neque adulteri, neq; molles, neque fures,
neque auari, neq; rapaces regnum Dei possidebunt. **1. Cor. 6.**

102 Quæ cùm ità sint, caueant homines, nè alios spolient,
néve sacra rapiant, id quod sinè nefario religiōis con-
temptu accidere minimè potest, cùm præfertim hoc
ius naturæ præscribat, vt quæ semel Deo dicata, & quo-
dammodo cōsecrata sunt, amplius in prophanos usus
non conuertantur,

Lucæ 3. Caeuant item milites, nè in bona atque fortunas
aliorum impetū faciāt, néve maiorem quæstūs, quām
officij Christiani, rationem habeant. Meminerint il-
lius Ioannis Baptistæ, Neminem concutiatis, neq; ca-
lumniam faciatis, sed cōtentи estote stipendijs vestris.

Exod. 18. Caeuant Iudices, nè ob rem iudicandam accipiāt
pecuniam ab ijs, qui fortè litigant, atq; ità se corrumpi patiantur. Neq; enim hæc in lege Dei ignota sunt:
Prouide autē de omni plebe viros sapientes & timen-
tes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auariti-
am, & constitue ex eis tribunos & centuriōes & quin-
quagenarios & decanos, qui iudicent populum omni
tempore.

Caeuant deniq; Principes, Magistratus & Nobili-
les, nè populos suos tributis extra ordinem exigendis
premant, néve ad priuatam vtilitatem suam ità reuo-
cent omnia, vt communis vtilitatis minorem, quām
oportet ratiōem habeant. Nam si idem cupiditati suæ
atque auaritiæ indulgent, & contrà faciunt, quām Lex
charitatis præscribit, & Deum grauiter sanè offendunt.
Sed

Sed ad contractus iuris gentium reuertar: quanto
hi maiorem utilitatem humanę societati afferunt, tan-
to minus cōmittere debemus, vt eisdem contrā quām
lex charitatis præcipit, & naturā illorum postulat, abu-
tamur: quod accidit, quotiēs in contrahendo circun-
ueniamus proximum, & cui prodesse debemus, no-
ceamus: vt si quis multò pluris vēdat rem suam, quām
estimari hæc debeat. Item si quis contrahentium fal-
so pondere aut mensura vtatur. De quo genere Salo-
mon: Abominatio est apud Dñm pondus & pondus:
statera dolosa nō est bona. Item si quis corrūpat mer-
cem, vt ea re imponat ei, cum quo contrahit. Hæc oīa
qualia sint, & vt iram dei in nos concitent, audite non
me, sed Paulum Apostolum qui ait: Et nè quis super-
grediatur neque circunueniat in negocio fratrem su-
um, quoniam vindex est dominus de his om̄ibus, sic
ut prædiximus vobis, & testificati sumus.

Prou. 20.

1. Thes. 4.

Lucas 6.

Ezech. 8

Ac quia mutuum eius est naturæ, vt sit planè gratu-
itum, vt suprà à nobis positum est, certè quicūq; istud
ealege dat, vt ad sortem aliquid utilitatis suæ causa ac-
cedat, non mutuum dare, sed fecerari videtur: Quip-
pe cūm Christus ipse velit ità nos mutuum dare, vt ni-
hil inde speremus. Et apud Ezechielem scriptum sit:
Et vir si iustus fuerit, & fecerit iudicium & iustitiam,
in montibus non comederit, & oculos suos nō leua-
uerit ad idola domūs Israel, & vxorem proximi sui nō
viola-

violauerit, & ad menstruatam non accesserit, & hominem non contrastauerit, pignus debitori reddiderit,
 per vim nihil rapuerit, panem suum esurienti dederit,
 & nudum operucrit vestimento, ad usuram non com-
 modauerit, & amplius nō acceperit, ab iniquitate auer-
 terit manum suam, & iudicium verū fecerit inter vi-
 rum & virum, & in præceptis meis ambulauerit, & iu-
 dicia mea custodiērit, ut faciat veritatem, hic iustus est:
 vita viuet, ait Dominus: & subiungit seueram hæc atq;
 terribilem vocem in eum, qui contrā facit. Quod si
 genuerit filium latronem effudentem sanguinem,
 & fecerit vnum de istis, & hæc quidem omnia non fa-
 cientem, sed in montibus comedentem, & uxorem
 proximi sui polluentem, egenum & pauperem con-
 tristante, rapientem rapinas, pignus non reddētem,
 & ad idola leuantem oculos suos, abominationem fa-
 cientem, ad usuram dantem, & amplius accipientem,
 nunquid viuet? Non viuet: cum vniuersa hæc detestā-
 da fecerit, morte morietur. Sanguis eius in ipso erit.
 Iam videmus Deum usuram atque fœnus non minū
 damnare, quam mutuum approbat atque præcipit, cum
 inquir: Qui petit à te, da ei: & volenti mutuari à te, nè
 auertaris. Itaque cauendum est Christianis homini-
 bus, nè fœnerentur, & eatenus in poenam grauem le-
 gis diuinæ incident.
 Verū quia existunt callidi homines, qui vt facta
 sua

sua mala defendant, non usurā, sed id, quod sua inter- 105
est, se exigere aiunt: hi dum exigūt aliquid, vt lucrum
faciant, se excusare minimē poslunt: Cūm præsertim
contrā, quām fert natura contractūs, & eius quidem
gratuiti, faciant: Sed si quid exegerint, non vt lucrum
faciant, sed vt damnum vitent, id excusationem suam
habere videtur. Verbi gratia, vēdiderit aliquis fundum
suum hac lege, vt restituto precio, eundem recuperare
possit. Intercā verò fructuum nomine emptori in sin-
gulos annos quinquaginta aureos soluat. Iam verò si
idem venditor tantum pecuniæ coegerit, quantum
ad recuperandum fundum, eiusque fructum satīs sit,
eāq; summā emptori suo soluere velit, vt sese liberet:
veniat autem aliis, qui eadem pecunia egeat, eam que
à venditore mutuetur, cum hoc pacto, vt ipse tantum,
quantum ille fructuum nomine emptori suo debeat,
in singulos annos dare velit, quod si accipiat is, qui
mutuum dedit, quia id non lucri faciendi, sed dūtaxat
damni vitandi causa facit, certè nec cōtra naturā con-
tractūs facere, nec usurā contrahere videbitur. Quin
vt hic usurā abstinet, dum nullum lucrum cōficitur:
itā alter, cum quo contrahit, dum cauet nē idem ille da-
mnō vlo afficiatur, eiisque beneficentia sua incōmo-
do sit, rectē facit, & officio boni viri atque grati homi-
nis fungitur. Habes hīc, quid in omni genere contra-
ctuum rectum sit & honestum, quidve prauum atq;

O turpe

106 turpe, ut statuere possis, quid in eo ipso sequi, quidve
fugere debeas. Ac si hęc, quę legi diuinę planę conser-
tanea sunt, custodiēris, non erit periculū, nę te auaritia
turpislīmū animi vitiū transuersum agat. A quo tantò
magis abhorrere debemus, quantò id ab omnibꝫ cùm
vitę, tum salutis nostrę rationibꝫ alienius esse videtur.

Nam auaro primò hoc malum accedit, vt quemad-
modū hydropicus sitim suā nūquām extinguere po-
test, sed quāto magis potat, tanto magis sitit: ità ille cu-
piditatem suā nunquām explet, quin quanto plūs for-
tunarū acquirit, tanto plūs appetit. Nam vt Salomon
Eccles. 5. ait, Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diui-
tias, fructum nō capiet ex eis. Quid ita? quia dum non
expletur animus eius, semper eget: & eget nō tam ijs,
quę non habet, quām ijs, quę habet.

Secundò, vt cùm sibi videatur cūprimis beatus esse,
antè morte opprimatur, quām eum, quę expetit, fru-
ctum è bonis suis percipere possit. Quod & euētus re-
rū declarat, & Christus ipse summa authoritate docet.
Lucæ 12.

Tertiò dant liberi plerūq; parentibus causam,
vt sint attentiores ad rem, quām oporteat, & malis ar-
tibus quærant nōnunquām ampla quę illis relinquit
patrimonia, quorum tamen spes inanes sunt, cùm ita
vulgò eueniat, vt male parta, male dilabantur: & qui-
bus ea relinquuntur, hi viuant intemperantiūs, & tan-
to minorem ex illis fructum capiant, quanto ipsa tur-
pius

piùs profundunt. Rectè igitur Salomon: quid prodest 107
stulto habere diuitias, cum sapientia emere nō possit? Prou. 17.

Quartò ità etiam visuuerit, vt auari proclues sint
ad litigandū, & ea re nō solūm alijs, sed etiam sibi mul-
tūm negocij faceant. Nam vt scriptū est, conturbat Prou. 15.
domū suam, qui sectatur auaritiam. Quin ijdem auari
seipso in vitæ suæ periculū adducere solent. Nam per Amos 9.
Amos prophetā ità loquitur Deus: Auaritia in capite
omnium, & nouissimū eorum in gladio interficiam:
non erit fuga eis. fugient, & non saluabitur ex eis, qui
fugerit. Si descenderint vsq; ad infernum, indē manus
mea educet eos: & si adscenderint vsq; ad cælum, indē
detrahām eos; & si absconditi fuerint in vertice Car-
meli, indē scrutans auferā eos: & si celauerint se ab oculis
meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, &
mordebit eos: & si abiērint in captiuitatem coram ini-
micis suis, ibi mandabo gladio, & occidet eos: & po-
nam oculos meos super eos in malum, & non in bo-
num. Ac si vllis, certè potentioribus, si qui opprimunt
Populos suos, vt ex eorū quasi visceribus crescant, auar-
itia periculosa est. Nam ita ferè fit, vt ijdem freti op-
ibus suis, ea moliantur in perniciem aliorum, quibus
seipso euertant.

Quin ijdem hoc sibi dictum putent, Vx qui con- Esaix 5.
iungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis
vsque ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos so-

108 **Si in medio terræ? in auribus meis sunt hæc**, dicit Dominus exercituū, Nisi domus multæ desertæ fuerint grandes, & pulchræ, & absq; habitatore: decem enim iugera vinearum facient lagunculam vnam, & tringitamodij fermentis facient modios tres. Væ qui confugitis manè ad ebrietatem festandam, & potandū vsq; ad vesperam, vt vino æstuatis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis: propterea captiuus ductus est populus nucus, quia nō habuit scientiam, & Nobiles eius interiérunt fame, & multitudo eius siti exaruit. Quæ cùm ità sint omnia, & perspicuo rerum euentu declarétur, si quid aliud, certè avaritia fugienda est, & cauendū maximè, nè contrā, quām lex dei atque charitas præscribit, rem quisque suam augeat: Cùm præsertim qui contra Legem eandem rem alterius ad se transfert, nisi eandem restituat, Deum, qui facto tali grauiter irasci solet, placare minimè possit. Quām autem necessaria sit restitutio in hoc genere, docent nō solùm prophetica scri-

Hier. 33. pta, sed etiam Lex naturæ, quæ præcipit, vt idem faciat
Math. 7. Tob. 4. quod vt nobis faciant homines, volumus:
Matt. 22. è quo ipso legem & prophetas pendere Christus summa authoritate dixit. Quotus autem quisque est, qui non velit rem suam, quam alius per iniuriam abstulit, restitutam sibi? Ac quia à Lege, quam in præcor-
dijs

dijs quisque suis natura insitam habet, admonetur, vt 109
quod in ista ratione ab alijs exigit restitutionis officium, idem ipse proximo suo tribuat atque præstet:
certè peccat, quicunque non restituit: idque non minùs, quām rectè fecit Zachæus, cùm quadruplum eorum, quæ malè pepererat, restitueret, simulac verè ad Dominum conuerti, & abiecto veteri homine, per nouum ad salutem adspirare cœperat. Ac si restituere debet quisque ea, quæ contra officium rectum acquisiuit, quem hīc tandem fructum è cura atque labore pecuniæ perperām cogendæ capiet? Nam si restituit,
quod adeptus est, inutile ac inane fuit, quod in re illa egit: Sin minùs, auaritia, qua inquinatus est, plūs ei damni quām commodi afferet: cùm præsertim accidat, vt quicquid ita acquirit quispiam, non solùm perdat, sed nec ea, quæ benè acquisiuit, retineat, immò se ipsum à statu salutis deijciat.

Iam verò cùm nobis cauendum sit, nè cupiditate diuitiarum accendamur, atque eatenùs in laqueos dia-boli incidamus, id vicissim operam dare debemus, vt easdem habeamus tanquām non habentes, & ad libe-ralitatem benignitatemque veram, quotiès opùs est, conferamus. De quarum vſu bono audite quæ Apo-stolus Paulus scribit: Diuitibus, inquit, huius seculi ^{1. Tim. 6.} præcipe non sublimè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum: sed in D E O viuo, qui præstat nobis

110 omnia abundè ad fruendum, benè agere, diuites fieri
in bonis operibus, thesaurizare sibi fundamētum bo-
num in futurum, vt appræhendant vitam æternam.
Quin illud etiam contingere videmus multis, vt qui
donant & benignè faciunt egentibus, eorum faculta-
tes non extenuentur, sed ijdem bonis etiam atque for-
tunis augeantur: Alij diuidunt propria, & ditiores fi-
unt, inquit Salomon. Alij rapiunt non sua, & semper
Prou. 11. Prou. 19. in egestate sunt. Item, fœneratur domino, qui misere-
tur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei. Neque
verò Deus noster iustos atque liberales fouet tantum,
sed etiam liberos posterosq; eorum. Iustus, inquit Da-
uid, miseretur & commodat, & semen illius in bene-
dictione erit. & addit: Non vidi iustum derelictum,
nec semen eius querēs panem. Et quanquam eos, qui
pro misericordia sua benignè faciunt proximis suis,
beatos esse iudicamus: tamen prodigos nō modò non
laudare, sed ne probare quidem possumus. Nam isti
nec ijs, quibus oportet, nec eo modo, quo oportet,
languuntur: si cauti essent & frugi, liberales esse perpe-
tuò possent, cùm nunc ita profundant sua, vt ipsi tan-
dēm aliena ope indigeant. Quod tanto est miserius,
quanto beatior est, qui dat, quam qui accipit benefi-
cium tale, vt visum fuit Paulo Apostolo. Sed satìs di-
ctum sit de ijs, quæ ad septimum præceptum Decalo-
gi pertinent.

OCTA-

OCTAVVM PRAECEPTVM:

111

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

QVAE cuiq; facienda sint, vt factio seruiat atque consulat proximo suo, & quę vicissim fugienda, nè huic noceat in explicatione eorū, quę antecedunt, praeceptorum legis monstrauimus. Nunc sequitur de officijs linguae atque sermonis, quę alter alteri tribueret debet. Nam quo quisque alteri commodat aut incommodat, id vel in facto, vel in sermone consistit: hīc autem nominatim prohibitur falsum testimonium.

Quod et si in iudicia potissimum cadere videtur, tamē latius etiam patet, & omnē sermonem, qui proximo nocet, complectitur. Ac quoniam Deo omnipotenti etiam de unoquoq; verbo ocioso rationē reddere nos oportet, vt Christus ipse monet: quid futurum erit ijs, qui lingua sua proximis suis infesti sunt? Quo magis testimonium omne falsum, obtrectationē, calumniam, insimulationē iniquam fugere debemus. Verūm vt mala hæc vitanda sunt, ita etiam cauendum, nè alter cum proximis nostris loquamur quam sentimus, eosque fallaci sermone circunueniamus.

Neq; enim ignotum est illud Hieremiæ: Propter-
ea hæc dicit Dominus exercituum: Eccè ego conflabo & probabo eos. Quid enim aliud faciam à facie filiæ populi mei? sagitta vulnerans lingua eorum, dolum loquuta est: in ore suo pacem cum amico suo loquitur,

112 tur, & occultè ei ponit insidias. Nunquid super his nō
visitabo, dicit dominus, aut in gente huiuscmodi nō
vliciscetur anima mea?

2.Re.17. Nec minùs cauendum est, nē malum consilium de-
mus alteri. Quod q̄ periculosest sit authoribus ipsis,
docet exemplum horrendum Achitophelis peruersi
consiliarij. Ex his perspicuum est, itā viuendum esse,
ut non modò non factis, sed ne verbis quidem proxi-
mis nostris noceamus: & mēdaciūm, rixam, iurgium,
contentionem angue peius auersemur. Quòd si (vt
Iac.3. inquit Iacobus) zelum amarum habetis, & contenti-
ones in cordibus vestris sunt, nolite gloriari & mēda-
ces esse aduersū veritatem. Non enim ista sapientia
desursum est descendens, sed terrena, animalis, diabo-
lica. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconstantia &
omne opus prauum. Quæ autem desursum est sapiē-
tia, primū quidem pudica est, deindē pacifica, mode-
sta, suadibilis, plena misericordia & fructib⁹ bonis, nō
iudicans, & sīnē simulatione.

Iam quę Dei lex interdit, nē sermone proximum
nostrum lēdamus: eadem præcipere videtur, vt quan-
tum possumus, sermone iuuemus, consilia bona de-
mus, & quotiēs opūs est, moneam⁹, nē aut bona & for-
tunas, aut corp⁹ & vitā, aut honorē & bonā existimati-
onē amittat, aut seipsum æterna salute euertat. Quod q̄
facit, signa dat p̄spicua ei⁹, quo ducit, fraterni amoris.

Ac

Ac si fortassè damnum aut iniuriam ab aliquo acce 113
peris, non huic tamen litē intendere debes, vt pereat,
sed vt respiscat potius. In quam rem nobis hanc rati-
onem Christus ipse præscripsit: Si autem, inquit, pec-
cauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te &
ipsum solum: si te audiérat, lucratus eris fratrem tuū:
si autem te non audiérat, adhibe adhuc vnum tecum
vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne
verbum. Quòd si non audiérat eos, dic Ecclesiæ: si au-
tem Ecclesiam non audiérat, sit tibi tanquam ethni-
cus & publicanus.

Matt. 18.

Et quanto hæc ratio melior fuerit, & cum Christi-
anorum officio coniunctior, tanto minùs ferēdi sunt
famosi illi libelli, quibus leuissimi quique nebulones
optimorum virorum nomina conscindere non du-
bitant. Quibus dum principes certi atque Magistratus
contrà, quām iustitiæ ratio postulat, indulgent: Dei irā
iustum haud dubiè in se incitant, & incauti eò ruunt,
vt non suæ solū, sed etiam alienæ culpæ reatu obstrin-
gantur.

PRAECEPTVM NONVM:

Non concupisces domum proximitui.

C V M præcipuum legis caput sit tale, vt Deum &
proximum diligamus, recta officij nostri ratio po-
stulat, vt non modo non proximis nostris malè facia-
P mus,

iiij mus, sed ne velimus quidem facere: Idque nè animus
noster à facto discrepet, sed integer homo deo autho-
ri vitæ salutisque suę obediatur. Itaque hoc Decalogi ca-
pite interdicitur, nè rem & domum proximi nostri
concupiscamus. Quandò enim Deus præcepit, vt eú-
dem æquè ac nosipso diligamus: certè non minùs, vt
res eius quam nostræ saluæ sint, velle debemus. Tali
animo atque voluntate qui fuerint, auaritiam, graue
illud atque perniciosum animorum nostrorum viti-
um, cauere facile poterunt, vt eo minùs in laqueos di-
aboli incident: Ac quo facilius cupiditas haec mala in
nobis frangi queat, hanc seueram Dei vocem perpe-
tuò in animis vestris habetote: Væ qui coniungitis
Esaia.5. domum ad domum, & agrum agro copulatis usque
ad terminum. Accedat illud Christi in Euangelio: Vi-
Lucæ.12. dete & cauete ab omni auaritia, quia non in abūdan-
tia cuiusquam vita eius est ex ijs quæ possidet. Dixit
autem similitudinem ad illos, dicens: Hominis cuius-
dam diuitis uberes fructus ager attulit, & cogitabat in-
tra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo, quo con-
gregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: Destruam
horrea mea, & maiora faciā, & illuc congregabo omnia,
que nata sunt mihi, & bona mea, & dicā animę meę:
Anima, habes multa bona posita in annos plurimos:
requiesce, comedē, bibe, epulare. Dixit autem illi deus:
stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ au-

tem

tem parâsti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & 115
non est in Deum diues. E quibus ipsis perspicuum
est, quod non solùm perniciosum sit, sed etiam plenū
stultitiae, si quis non suis rebus contentus, avaritiæ in-
dulgeat. Et quæ præterea officij in hoc genere nostri
sunt, suprà ad septimum præceptum à nobis explicata
sunt.

DECIMVM PRAECEPTVM:

*Non desiderabis vxorem eius, non seruum, non
ancillam, non bouem, non asinum, nec
omnia quæ illius sunt.*

PROXIMUM PRÆCEPTUM PROHIBET, NÈ APPETAMUS ALIENA,
atq; itâ ab avaritia nos auocat. Hoc autê non solùm
ab avaritia, sed etiam à libidine auertit. Non desidera-
bis, inquit, vxorem proximi, quo ipso à libidine dedu-
cimur. Quod autem subiungit, non seruum, non an-
cillam, non asinum, non omnia quæ illius sunt, aua-
ritiam prohibet. Par ratio est aliarum etiam, quæ in fa-
milia proximorum nostrorum sunt, personarum, vt si
quæ ingenuæ in operas rei familiaris conducuntur. Ac
si non licet appetere easdem, quanto minùs licebit cum
eis agere, vt deserant dominos, quos habent, & se in
tuam familiam transferri patiatur: cùm præsertim hoc
idem etiam lex naturæ, quæ sanxit, nè faciamus alteri Tob. 4.
Matt. 7.
quod nobis fieri nolumus, yetet?

P 2 Et

Et quia h̄ic agitur de motibus animi interioribus affectibusque, illud quidem memineritis velim, nos et si eisdem, quoād in hacterra viuimus, agitari solemus, eo quōd caro nostra contra spiritum perpetuō pugnat: possumus tamen beneficio Spiritus sancti & vi charitatis, quam hic diffundit in cordibus nostris, eisdem ipsis resistere, idq; itā, vt non modō non quod ijdem tanquām consiliarij improbi suadent velimus, sed etiam vt renouati spiritu mentis nostræ, contrarium expetamus, & præceptis dei eatenūs quatenūs pro conditione vitæ huius, eiusque iustitia satīs est, obediamus. Non cadit quidem summa iustitiæ perfectio in vitam huius peregrinationis nostrę, quod suprà etiam posuimus: veruntamē tantum tribuit Spiritus sanctus nobis, vt Deo credere, & spem fidutiamque nostram in eo ponere, atque ipsum pr̄ rebus omnibus alijs diligere, tum itā etiam viuere possimus, vt non modō non lèdamus proximos nostros, sed quibuscunque possimus rebus iuuemus. Et quanquām homo in hac peregrinatione sua sinè vitio atque peccato omni nō viuit, sinè crimen tamen & peccato lœtali viuere potest, idque itā, vt ei vitium atq; peccatum veniale, quo vacuus non est, fraudi nō sit. Nam vt Paulus ait, Nihil damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundūm carnē ambulant. Lex spiritūs vitæ in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati & mortis. Etsi igitur

tur prauē cupiditates in Sanctis etiam resident, quoad 117

in hac terra viuunt, tamen ut eodem nos incitent, maxime si idem quod suadent, nec fecerimus, nec voluerimus, nos quidem in legem minimè cōmittemus.

Ex quo constat, quatenus legem Dei explere, & ad regulam huius, piè, sobriè ac sanctè viuere possimus. Ac quale sit, & quam necessarium legi Dei parere, quoties possimus, Christus ipse summa autoritate docet. Nam

cum quidam accessisset ad eum & dixisset, Magister Matt. 19.

bene, quid boni faciam, ut habeam vitam æternā? respondit ei Christus: Quid me interrogas de bono? unus est bonus, Deus: Si autem vis ad vitam ingredi, serua mandata. Dicit illi: Quæ? Iesus autem dixit: Non homicidium facies, non adulteraberis, non facies furtū, Nō falsum testimonium dices, Honora patrem tuum & matrem tuā, et Diliges proximū tuū sicut te ipsum.

Itaque cum necessè sit homini Christiano, ut regi diuinæ eo, quem suprà posui & explicavi, modo, obediatur, idque non facto solū, sed animo etiam atq; voluntate, atque vis hæc non à natura nostra, sed à spiritu sancto, qui datur nobis, accipienda sit: postulat ratio salutis nostræ, ut in DEVUM credamus, & cum fidutia adeamus fontem seruatoris, ex eoque hauriamus tantum muneric diuini, quantum ad legem in hac vita ex plendam cuique nostrū satís esse potest. Quod autem Deus credentes in se, Spiritus sancto eiusque gratia, au-

118 gere, atque ornare velit, ex hisce Christi verbis est sanè
Ioan.7. perspicuum: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui cre-
dit in me, (sicut dicit Scriptura) flumina de ventre ei-
us fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem
accepturi erant credentes in eum. Faciat Deus ac Pa-
ter Domini nostri Iesu Christi, nihil ut eorum, quæ ad
ea, quæ lege nobis sua præcepit, attinent, prætermitta-
mus, & in eam rem ipse dona necessaria, finè quib' ni-
hil boni nō dico efficere, sed ne inchoare quidem pos-
sumus, perbenignè largiatur: cui sit laus, honor, & glo-
ria in secula seculorum, Amen.

Et quanquam de rectis vitæ officijs ea, quæ ad rem
& explanationem Decalogi pertinent, nos attulisse ar-
bitramur, tamen operæ premium nos facturos existi-
mamus, si quæ suprà de oratione, Ieiunio, & Eleemo-
syna strictè attigimus, explicatiùs pertractauerimus.
De quibus nunc singulis singulatim,

DE ORATIONE.

HO C actionis bonæ genus cadit sub secundū
Decalogi præceptum. Quod cùm attigerimus
suprà, de eoq; scripsierimus breuiter & non sa-
tis explicatè, res postulare videtur, vt de eodem hoc lo-
co accuratiùs agamus. Ac cùm huius officium sit, men-
tes nostras in cælum erigere & quodammodo attolle-
re, & ynū hoc ex omnibus externis vitæ officijs cum
pieta-

pietate coniunctū est maximè, ac longè omnium vti- 119
lissimum. Inuoca me, inquit Deus ipse, eruam te, & Psal. 49.
honorificabis me. Item Christus: Quicquid petieritis
Patrem in nomine meo, hoc dabitur vobis. Atque vt
quisque eorum, qui supplicaturi sunt Deo, se officio
huic rectè accōmodare possit, fidem afferat, nihil hæ-
sitans: nam qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui à Iacob. 1.
vento mouetur & circunfertur. Non ergò existimet
homo ille, quod accipiat aliquid à Domino, vt scriptū
est à Iacobo fratre Domini. Fidem autem atque fidu-
tiam, quam quisque affert, talem esse oportet, vt eam
non in se, aut innocentia sua, sed in misericordia Dei
repositam habeat: Quippe cùm nullus nostrūm ple-
nè innocens sit, & sinè omni prorsus peccato viuat.
Itaq; meminerimus nos in precando non minùs hu-
militatē publicani, qui summisso animo veniam pec-
catorum petebat, imitari, quām arrogantiam Pharisēi, Luce. 18.
qui ad spem salutis innocentia sua nitebatur, fugere
debere: Quippe cùm hic frustrà orauerit, ille autem,
quod voluit, à Deo impetravit, & iustificatus discessit.
Quin igitur cum Daniele ex animo profiteamur, nos Dan. 9.
non in iustificationib⁹ nostris, sed in miserationibus
Dei multis preces nostras prosternere? Ac si fidutiam,
eamq; cum humilitate vera coniunctam, attulerimus
ad orandum: certè nec fides, nec spes nostra fallebitur,
dummodo non destiterimus Deo supplicare, & ea quę
pomi-

120 Dominus Deus pro infinita sapientia sua nobis profutura intelligit, sedulò petierimus. Nam Christus ipse
Luc. 11.
Matth. 7. ait: Petite, & dabitur vobis: pulsate, & aperietur vobis.
Itaque si quod petimus, primò non accipimus, iteremus preces: pulsamus, & aperietur tandem nobis, ut consequamur quod secundùm voluntatem eius petimus. Neque enim D E V S, qui fidelis est in omnibus verbis suis, promissis quæ ipse fecit, non stabit. Iam preces ipse, quæ ore funduntur, tum gratæ sunt Deo, cùm spiritalis & cordium oratio accesserit. Nam ut
Psal. 144. C H R I S T V S ipse ait, veri adoratores in spiritu & veritate adorant. Itaq; non voce tantum, sed & mente, nec ita quasi aliud agas, Dominum hunc adorare atque inuocare debes, sed attentè potius & ex animo, credente quidem & fidente, sed summisso tamen, & cogitante te non ad hominem, sed ad summam in cœlis Maiestatem, cuius nutu vniuersum hoc, quod cernimus, regitur, verba facere. Et quanquam pro magna illa rerum varietate, quæ nobis à Deo impetrandas sunt, necessitas ipsa varias ex ore cuiusq; nostrum formulas precum elicere solet, quales Spiritus sanctus in Scripturis passim tradit: eam tamen cuius præcipua ratio ducenda est, Christus ipse præscribit, inquiens: Sic autem vos orabitis:

Matt. 6. Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Adiuuat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in

*in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodiē. Et di- 121
mitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus
nostris. Et nè nos inducas in temptationem. Sed libera nos à ma-
lo. Amen.*

Qua benignitate Christus dominus noster nobis quæ vel ad vitam, vel ad salutem necessaria sunt aut vtilia, tribuit, eadem piam hanc formulam precandi tradidit. Quę vt plena est mysteriorū, ità vna ex omnibus aptissima ad impetranda, quæ nobis vel necessaria sunt, vel vtilia. Nam cùm prece atque oratione, quam filius docuit, apud patrem loquamur, dubium nō est, quin faciliùs audiamur, vt scriptum est à Cypriano. Nam vt idem Cyprianus inquit, quę potest magis spiritalis esse oratio, quām quę à Christo nobis data est, à quo nobis & Spiritu sancto missus est? Sed hæc hanc tenus de vtilitate orationis, quæ cùm à Domino profecta sit, dominica rectè appellatur. Cuius primò ea est ratio, vt sit cōmunis, non vt singuli pro se precentur, sed vt & singuli & omnes pro omnibus: Quippè cùm vnum corpus simus omnes, & totus populus unus sit, nec vni corporis Christi mystici membro, siue bonū siue malum accidere possit quicquam, quod ab altero sit seiūctum. Hinc illa, Et dimitte nobis debita nostra: Item, et nè nos inducas in temptationem. Sed nunc de singulis orationis dominicæ partibus. Ac primò quidem, quia Christianus homo fide consequitus est, vt

Q sit

122 sit filius Dei adoptione, & vt pro hac felici conditiōe
Rom. 8. sua clamare possit: Abba pater, postulat quidem offici-
Gal. 4. um eius, vt agnoscat hunc patrem suū in cælis, in eoq;
spem cùm omnis boni sui, tum salutis ponat, vt quod
ab eo precari debet, id cum fidutia faciat, eaq; tali, qua-
lem filij in parentes suos habent. De quibus nisi opti-
ma quæque sperent, sibiique promittant, naturam suā
bonam atq; filiorum propriam exuissē quodammodo
videtur. Ad quam pietatis rationem vt excitaremur,
Christus hisce verbis orationem suam inchoauit:

PATER NOSTER QVI ES IN CAELIS:

ET verè hic pater est noster, quippe qui generauit
nos cùm necdùm essemus: & regenerauit, cùm
perijsssemus: nec desinit nos beneficijs suis diuinis af-
ficere, fouere, tueri, & nobis ad hæreditatem filiorum
Dei, quæ est vita æterna, aditum munire, ac in seipso
firmissimum contra carnem, mundum & satanam in-
festissimos hostes nostros, præsidium ponere. Ad huc
patrem nostrum tantum, tamque benignum, nos qui
in hoc mundo, tanquam pelago periculorum plenif-
fimo iactamur, confugere, in eumq; credere, ac spem
omnem nostram cōferre debemus, & quæ nobis cùm
bona tū salutaria esse possint, petere debemus. Ac pri-
mùm quia fundamentum salutis nostræ est gratia, qua
aut

aut Deo nos reconciliamur, quoties opus est, aut recō- 123
ciliati in officio pietatis atq; iustitiae bono retinemur:
hanc vt semper, & in omni vita perpetuitate obtine-
re possimus, Deus hic pater noster pie rogandus est. sic
igitur ora:

S A N C T I F I C E T V R N O-

MEN TVVM.

CVM nosipſi nec placare Deū, nec sanctos, iustos,
ſaluosque efficere possimus, neceſſe eſt, vt ad De-
um, tanquam fontem atq; originem omnis boni no-
ſtri confugiamus, ab eoque impetremus, {quæ nobis
ad ſalutem vel utilia ſunt, vel neceſſaria. Hanc igitur
primam in oratione ſua poſuit petitionem Christus:

S A N C T I F I C E T V R N O M E N T V V M. Dei nomen
eſt per ſe omni tempore ſanctum atq; glorioſum, quod
in nobis ſanctificatur tum, cum ex eius beneficijs, que
ipſe nobis per filium ſuum dedit, ſumma bonitas ipſi-
us, misericordia, atq; benignitas elucet. Hinc illa Dei
ipſius vox apud Ezechielem: Sanctificabo nomē me-
um in gentibus multis. Nam cum filium ſuum vni-
nitum in mortem obtulerit pro nobis, & in ſanguine
huius eum nobis ſalutis fontem constituerit, vnde re-
conciliationem cum Deo æterno Patre, renouationē
ſpiritus, ſanctificationemq;, & adoptionem filiorum
Dei haurire poſſimus, & tanto nos beneficio ſuo non
ob meritum yllum noſtrum, ſed propter nomē ſuum

Ezech.36.

Q 2 perbe-

124 perbenignè afficiat: in hoc, in hoc inquam ipso consistit sanctificatio & gloria nominis ipsius, quatenus ea se se in hominibus ostendit. Quarè dum quisq; nostrum precatur, ut nomen Dei sanctificetur, id expectare videtur, ut quæ nos bona salutaria viribus nostris cōsequi non possumus, diuino munere cōsequamur: & quanto nos in nobis minùs, tanto in deo magis bono omni cumulari, & cum Dauide verè atq; ex animo dicere possimus: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Quod ut ad pietatem atque salutem Christiani hominis pertinet maximè, ità primo loco à Deo petendum est. Huic parti orationis dominicæ recte subiungitur altera:

Psalm. 113.

ADVENIAT REGNUM Tuum.

Quemadmodum gratia dei, vnde gloria eius mentibus nostris affulget, expetenda est, idque ut bonus omne accipere, in eoq; nobis ipsis constare possumus: ità ad regnum Dei, tanquam finem bonorum, nobis referenda sunt omnia: ad quod ut adspirare tandem possimus, Deus ità rogandus est, adueniat regnum tuum. Regnum nimirum gloriæ, in quo cum Angelis Dei atq; Sanctis conquiescere quam beatissimè, & felicitatem tantam, quantâ nec ullus ullius oculus vidit, nec auris audiuit, consequi atque obtinere possumus. Ac nè ab hoc bono nostro, quo nullum esse potest

test maius, auertamur: precemur à Deo id, quod **tertia** 125
huius orationis nostræ pars continet:

**FIAT VOLVNTAS TVA, SICVT
IN CAELO ET IN TERRA.**

Nostra voluntas, quam gignit natura nostra, eaq;
corrupta, est ad malum procliuis, & auocat ab ijs,
quæ nos ad salutem æternam ducere possunt. At Dei
voluntas, quæ semper optima est, ad salutaria illa nos
reuocat. Qua duce, à via salutis nec deflextimus un-
quam, neq; aberramus. Quarè vt non quò nostra vo-
luntas impellit, sed quò Dei inuitat, sequi possimus:
idem dominus noster ex animo inuocandus est, vt fi-
at voluntas eius, sicut in cælo & in terra. Vt enim in
cælo nihil est, quod se voluntati Diuinæ non accom-
modat: ità in terra nulla est voluntas, quæ non diuinę
respondere, cum eaque se coniugere debet. Voluntas
autem Dei est, vt simus pij, iusti, sobrij, cui ipsi volun-
tati vt accommodare nos ipsos possimus, faciat Deus
pro misericordia sua, vt boni simus in hoc seculo, ex Tit. 2.
peccantes beatam spem, & aduentū gloriæ magni Dei,
& Saluatoris nostri Iesu Christi.

**PANEM NOSTRVM QVOTIDIA-
NVM DA NOBIS HODIE.**

CVM beneficio dei non solùm, quæ salutem æter-
nam afferunt, sed ea etiam, quæ hanc præsentem
Q 3 tuer-

126 tuerintur, accipimus, certè ut illa, ità hæc etiam precari à
Deo atq; impetrare debemus. In quibus cùm panis il-
lud ipsum sit, quo homo alitur maximè, hunc ipsum
pro eo, quod Christus præscripsit, quarto precationis
loco rectè petimus nobis dari.

Et quanquā is, qui filius Dei est, & habet spiritū
sanctum in p̄cordijs suis idem ipsum testificantem,
ex animo dicere potest, Pater noster q̄ es in cælis, cùm
omni prorsus peccato lœtali atq; criminē vacuus sit,
tamen quia carnem necdūm totam exuit, varijs animi
motibus, ijsq; turbidis, agitat, & plūs minūsve quoti-
diè facit, quām illa plenè perfecta iustitię ratio præscri-
bit, nec sīnè peccato omni viuit. Quō minūs ipse per-
fectam innocentiam arrogare sibi, sed suum hoc po-
tiūs peccatum cùm agnoscere & confiteri, tum verò
etiam deprecari debet quotidiè in hæc verba:

ET DIMITTE NOBIS

DEBITA NOSTRA.

ET quo minūs se quisq; qui ità ad portum miseri-
cordiæ diuinæ cōfugit, veniam impetraturū esse
dubitet, audiat non me, sed Ioannem Apostolum, qui
I. Ioan. 1. inquit: Si dixerimus quia peccatū non habemus, nos
ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Si autem
cōfessi fuerimus peccata nostra, fidelis & iustus est Do-
minus, qui remittat nobis peccata nostra. Ac quia fru-
stra

strâ quispiam veniā petit, qui non ignoscit ijs, à quibus 127
ipse offensus est: (Nam vt Christus ipse ait, Cūm ste-
teritis ad orationem, remittite, si quid habetis aduersus
aliquem, vt & pater vester, qui in cælis est, remittat vo-
bis peccata vestra: si autem non remiseritis vos, neque
Pater vester qui in cælis est, remittet peccata vestra) re-
tē nos, quotquot rogamus nobis peccata donari, ad-
dimus:

Marc. ii.

SIC VIT ET NOS DIMITTIMVS

DEBITORIBVS NOSTRIS:

vt & officij huius nostri nos ipsos admoneamus, & ea-
tenus nobis veniam dari petamus, quatenus remiseri-
mus debitoribus nostris, & eo maiore cum cautioe pre-
ces has nostras adhibeamus.

Iam verò vt ad reliqua veniam, est quidem pecca-
tum caput malorum nostrorum, & id quidem tale, vt
non solùm ipsum, sed etiam illecebras omnes, quæ in
idem malum nos inducere possunt, fugere debeamus.
Et quia contra has ipsas, atq; omnes adeo carnis nostræ,
mundi, atq; sathanæ insidias atq; tentatiōes nobis cer-
tissimum est in deo omnipotente præsidium, necesse
fuerit nobis, vt nos, nos in quam ipsos, eidē præsidio
vera cum pietate committamus, atq; ita precemur:

ET NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM.

Addi-

Aditur ad extremū, SED LIBERA NOS A MALO.
Nam cùm in hac vita omni tentationum periculo atque malo minimè liberemur, certè quatenus precamur nos ab omni malo liberari, eatenus, vt nobis via in cælū pateat, precari videmur: Quippe cùm non antè ab omni malo remouebimur, quād in illas æternas sedes migrauerimus, & summam atque æternam felicitatem consecuti fuerimus. Quo ipso, vt eo, quod ad finem honorum nostrorum vehementer pertinet, orationem Dominicam rectè claudimus.

Habemus hīc modum ac formam precandi, quam Christus ipse trādidit, vt non videatur vlla esse aptior ad animos nostros, in cælum erigendos, nec vlla melior atque vtilior ad impetranda beneficia Dei salutaria, atque ipsam adeò vitam æternam. Faciat Christus Dominus noster & author huius nostræ precationis, vt eam ipsam in omni vitæ nostræ perpetuitate rectè atque vtiliter usurpemus, & nihil eorum, quæ ad Deum verè & piè colendum pertinent, prætermittamus. Cui immortali, inuisibili soli Deo sit laus, honor & gloria in secula seculorum, Amen.

DE IEIVNIO.

Caro nostra non definit contra bonū, quem à Deo accepimus, spiritum pugnare: vt si quo modo nos ab hoc auellere, & in suam redige-

re po-

re potestatem queat. Quod si cui acciderit, huius misera est conditio, planeque calamitosa. Nam à Deo ipse & salute sua auersus, hunc habet iratum, cuius iustum volūtatem offendere non desinit. Itaque vitam quisq; nostrūm ità instituere debet, vt carni petulanti atque cupiditatibus huius non indulget. Indulget autem eatenūs, quatenūs largiùs ipse, quām opūs est, vel edat, vel potet. Hoc enim pabulo eas acquirit vires caro, vt quem motibus suis agitat, eundem vincat & transuersum agat. Quo magis & ingluuies ventris & ebrietas fugienda est, quæ vt carnem improbam nimis alunt, ità causas dant grauissimis quibusque criminibus, iniurijs, cædibus, adulterijs, & homines à statu mentium suarum planè deiiciunt. Quod igitur nobis in omni vita nostra necessarium est maximè, ità viuamus, vt ebrietatem crapulamque vitemus, & frugisimus atq; sobrij. Sobrij estote, inquit Petrus Apostolus, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquām leo rugiens circumit, quærrens quem deuoret: Cui resistite ^{Luc. 21.} ^{1. Pet. 5.} fortes in fide. Nam cùm diabolus salutem nostram opugnet, & carne nostra ità abutatur ille, vt nos per nosipso quodammodo euertat: recte hic monet atq; præcipit Petrus, vt sobrij simus. Nam quatenūs temperantia nostra carni potestatem regnandi adimit, eatenūs facit, vt alteri etiam hosti nostro facilius resistere possimus in fide: cùm præfertim quāto minūs materi-

R ei in

130 ei in nobis fuerit, vnde potentia carnis nostræ crescat,
tanto magis spiritus in nobis bonus vigeat, & operi
diuinam contra malignum istum impetret. Etsi autem
hac cautione nobis opus est perpetuo, tamen si petu-
lantia carnis eousque progrediatur, ut non sat is sit eam
sobrietate atque temperantia coerceri: iejunium ad so-
brietatem accedere necessè est, idque ut caro ipsa & at-
I. Cor. 9. tenuari, & eo facilius comprimi possit. Et quanquam
hoc genus non semper, ut temperantia, necessarium
est nobis, toties tamen necessarium est, quoties caro
nos nimis agitat, & libidine acrius inflamat, nec in-
uenimus nos, quomodo eidem resistere possimus, nisi
inedia atque precibus rationes salutis nostræ fulseri-
mus. Ac iejunium quidem ipsum, si cum oratione co-
iunctum fuerit, non solum sed andis improbis atque
turbidis animi motibus aptum fuerit, quod tamè per
se magnum quiddam erit, sed etiam ad auertendas aut
mitigandas plagas dei atque poenas temporales vehe-
Iohel. 2.
Ion. 3.
Dan. 9. meter pertinebit, cuius quidem rei & Iohel, & Ionas,
& Daniel fidem non dubiam faciunt.

Ionæ 2. Publicum est hoc genus atque priuatum: Publicum,
quod cuncto alicui populo, ut illud apud Ionam, edici-
tur. Priuatum, quod sibi quisque ad suam vel utilitatem
vel necessitatem imperat, ut certè imperare debet. Atque
vtinam aut magis cauti essemus nos, aut minus delica-
ti, ut quotiescumque opus esset, nos ipsos iejunio atte-
nuemus.

nuaremus, nè ad hanc rem vlo publico Ecclesiæ instituto opùs esset. Quod tñ, vt nūc sunt tēpora & mores, optare faciliis, q̄ sperare possumus. Ac quia hoīes nul lum delinquendi finem faciunt, fit, vt eis grauissima quæque pericula impendeant: Quæ Deus ipse portentis varijs denūciat. Quarè si antehac vnquam necessarium fuit nobis cōmune & publicum iejunium, idem certè in præsentia necessarium est maximè. Et quia nō ita multos reperias, qui nisi ab Ecclesia moniti & moribus huius institutisq; excitati fuerint, se sponte sua iejunio attenuent, certè non solum retinenda sunt iejunia illa pristina quæ Ecclesia induxit, sed etiam restituenda, sicubì sublata sunt. Atque id tanto magis, quāto abrogatio eorundē nunc plus dāni hoībus nostris affert. Qui simulac carni suæ nimis indulgere cœperunt, non modò non ieunant amplius, sed ne sobriè quidem viuūt, immò se ad pastum vt pecudes abiijcere non dubitant.

Iam verò, vt rem in vnam summam contrahā, sunt quidē iejunij fructus magni: Primū, vt caro nostra lasciuia castigetur: Deinde, vt quo eadem magis attenuatur, eo nos ad munera spiritalia, atque ipsam adeò orationem simus aptiores: Postremò, vt plagę temporales, si quæ nobis fortè imminent, vel auertantur, vel mitigentur. Quanto igitur nos hoc officij genus pluris facere debemus, tanto magis cauendum est, nè ipsi

R 2 idem,

132 idem, si aliter eo, quam oportet, vsi fuerit nus, deprauemus: id quod acciderit, si cibis tantum abstinuerimus: peccatis autem, si quae Deum offendunt, non item. Quod quale sit, declarat illud propheticum: Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis: Ecce ad lites & ad contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Nunquid tale est ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Nunquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? Nunquid istud vocabis ieiunium & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi? Dissolue colligationes impietas, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui co-fraicti sunt, liberos, & omne opus disrupte: Frange esurienti panem tuum, Quin in hoc etiam genere ea opus est cautione, ut non solum abstineas cibo & potu, verum etiam inanem gloriam vites. De quo ipso audi

Matt. 6. non me, sed Christum, dum inquit: Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes. Exterminant enim facies suas, ut appareant honiñibus ieiunantes. Amén dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

Porrò et si delectus ciborum de more Ecclesiæ Catholicæ recte adhibetur, cum ieiunio coercenda sunt corpora, propterea quod aliis cibus alio vel plus vel minus

133
minūs alat atque nutriat: fallitur tamen, quicunq; putat in hoc tantūm veram iejunij rationem consistere: neque enim recte atque utiliter carnibus abstinet, qui se aliās cibis alijs implet, aut vino ingurgitat. Quod ipsum non est iejunare, sed tantūm crapulā atq; ingluuiem ventris mutare, vt si forte minūs carnium edas, non minūs tamen carni tuæ indulgeas. Videmus iam quid sequi nos, vt recte atque utiliter iejunium instituamus, quidve vitare debeamus, nē idem inane sit, atque ad nihilum planè recidat. Atque iejunium quidem ipsum tale est, vt ab amore suū, eoquē recto, proficiisci videatur, cùm qui castigat corpus suum, vt spiritui obediat, animæ suæ misereatur. Quæ cùm ita sint, tantum abest vt non necessè sit cuique carnem suam, quotiēs opūs est, iejunio coērcere, vt si idem non faciat, peccet grauiter, & seipsum quodammodo fugiat. Reliquum est vt de Eleemosyna agam.

DE E L E E M O S Y N A.

CV M charitas erga proximum hoc postulet maximè, vt alter alterum adiuuet, & is qui abundat, egentem liberaliter subleuet, hoc ipso officij genere Eleemosynam contineri satis constat. Qualis autem haec sit, quam utilis, quamque necessaria, Christus ipse summa autoritate docet, inquiens: Matt. 25. Cùm autem venerit filius hominis in maiestate sua, &

R 3 omnes

omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis: & statuet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Tunc dicet rex ijs, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: Sitiui, & dedistis mihi bibere: Hospes erā, & collegistis me: Nudus, & opuistis me: Infirm⁹, & visitastis me: In carcere erā, & venistis ad me. Tunc respondebūt ei iusti, dicentes: Dñe, qn̄ te vidim⁹ esurientē, & pauim⁹ sitiēntē, & dedimus tibi potū? Qñ autē te vidimus hospitē, & collegimus te? aut nudū, & cooperuimus te? aut qn̄ te vidiimus infirmū aut in carcere, & venimus ad te? Et respondēs Rex, dicet illis: Amē dico vobis, quādiū fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tūc dicet & ijs, q à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternū, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: Sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: Nudus, & non operuistis me: Infirmus & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quandō te vidimus esurientem, aut sitiēntem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministravimus

uimus tibi? Tunc respondebit illis, dices: Amèn dico 135
vobis, quandiu non fecistis vni de minimis his, nec
mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternū, iusti
autem in vitam æternam. Ex his Christi verbis primò
intelligimus, quòd opera illa misericordiæ, q̄ Ele-
mosynæ rectè attribuuntur, sint, esurientibus præbe-
re cibum, sitientibus potum, nudis vestem, hospites
in domum nostram ducere, & quicquid rerum omni-
um est, quo proximis, qui ope nostra indigent, beni-
gnè facere possumus. Secundò, quòd opera hæc, quo-
tiescumque suscipi & possunt & debent, sinè peccato
lœtali à nobis prætermitti minimè possint: Quippe
cùm ijs, qui negligunt ea, pœna ignis æterni proposi-
ta sit. Tertiò, quòd Deus eadem æternæ vitæ præmijs
ornat. Nam qui ipsa fecerint, hāc optatissimam Chri-
sti vocem audituri sunt aliquandò: Venite benedicti Matt. 25.
patris mei, possidete paratum vobis regnum à consti-
tutione mundi. Quartò, quòd quæ proximo suo in
hoc quisque genere tribuit, eadem Christo ipsi tribu-
ere videatur. Quintò, quòd qui miseretur egentium,
eiusdem vicissim miseretur Deus: & plagas, si quas ei
pro iustitia sua infligere velit, vel auertit, vel mitigat.
Hinc illud Danielis: Redime eleemosynis peccata tua. Dan. 4.
Sextò, quòd hæc opera misericordiæ ea etiam præmia
proposita habeat diuinitus, vt non modò non ipsos,
sed ne liberos quidem eorum atque posteros bona,
quæ

136 quæ ad vitam tuendam necessaria sunt, deficiant. In-
Psal. 36. nior fui (inquit Dauid) & senui, nec vidi iustum dere-
lictum, nec semen eius quærens panem. Tota die mi-
seretur & commodat, & semen illius in benedictione
erit. Quo minus quisque ab hoc officij genere se vlla
ratiōe deterreri patiatur, nec arbitretur se pecunię eius,
quam ita erogat, vllum damnum facere, sed cogitet se
eo ipso thesaurum sibi in cælo parare, quem nec fures
possint surripere, nec vis vlla hominū dissipare. Quod
quanto tutius fuerit, quam magnum in terra thesau-
rum, quem bella, tempestas, incendia & quicquid pre-
terea harum rerum est, facile consumere possunt, re-
conditum habere? Misericordes atque liberales sperat
rectè se quod habent, liberis posterisque suis relictu-
ros esse: At qui misericordes non sunt, sed auari, ne-
sciunt cui, quæ acquirunt, cōgregent. Cuius quidem

Psal. 48. rei nos Dauid magna cum authoritate monet. Itaque
1. Tim. 6. id operam dare debemus, vt non tam pecunia, quam
operibus misericordiæ bonis diuites simus. Nam fa-
cultates nostræ tum demùm stabiles sunt atq; diutur-
næ, si ad eas opera misericordiæ accesserint. Rectè igitur
Cyprianus Martyr: Si vereris & metuis, nè si pluri-
mum operari cœperis, patrimonio tuo larga operati-
one finito, ad penuriam fortè redigaris: Esto in hac re
intrepidus, esto securus: finiri nō potest, vndē in vsum
Christi impēditur, vndē opus cœlestē celebratur. Nec
hoc

hoc tibi de meo spondeo, sed de scripturarum sacrarū 137
fide, & diuinę pollicitationis autoritate promitto.

Loquitur per Salomōem Spiritus sanctus, & dicit: Qui proou. 28.
dat pauperibus, nunquam egebit: qui autem auertit
oculos suos, in magna penuria erit. ostendit misericor
des & operantes egere non posse, magis parcos & ste
riles ad inopiam postmodūm deuenire. videm⁹ quam
utilis sit homini Christiano Eleemosyna, atque benc
ficiencia erga proximum.

Ac quanto hoc genus minùs prætermitti debet tē
pore suo, tanto magis cauere debemus, nè eidem ipsi
nos non rectè accōmodemus. primò igit⁹ omnium de
proximo tuo benè merere non inuitus, sed spōte tua.
Nam hilarem datorem diligit Deus. Deindè non tu⁹, Cor. 9.
vtilitatis causa, sed propter Deum: ad hunc enim refe
renda sunt omnia vitæ nostræ officia, vt si eleemosy
nam tua vtilitate, & non potiùs voluntate Dei metia
ris, non gratuitum beneficium dare, sed ex Eleemosy
na quæstum potiùs facere velle videaris: id quod cō
tra naturam huius tam pugnat, quam quod maximè.
Tum vt in Eleemosyna non lucrum nostrum, ità nec
inanem gloriam consecrari debemus. Neque enim Matt. 6.
ignotum est illud Christi: Cùm ergò facis eleemosy
nam, nolituba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt
in synagogis & in vicis, vt honorificantur ab homi
nibus. Amén dico vobis, receperūt mercedem suam.

S Præ-

138 Præterea cauendū est, nè de alieno largiaris: cùm p̄fertim id eius sit generis, vt dominis quibus ablatum est, restitui, nec in alios vſus transferri debeat: Tale autem est, quicquid furto, vſura, latrocinio partum est.

August.
lib. de Sa-
lutarib.
docu. cap.
31.

Breueriter Eleemosyna cum cupiditate acquisita, vt Au-
gustinus ait, abominabilis est coram Deo: & acceptū
est ei, quod fideliter fuit acquisitum. Sunt enim non-
nulli, qui diripientes aliena, facere se simulant Elee-
mosynam: & cùm alios premant, alijs se misereri fin-
gunt. Si autem ex proprio labore dederint, gratum &
acceptum erit Deo. Ac si queras, num omnes Christi-
ani, qui habent vnde Eleemosynā dare possint, omni-
bus largiri debeant: Sic habeto, non omnibus eam dan-
dam esse, sed proximis tantum nostris, qui nimis rūm
eadem egent. Veruntamen si dubites, an stipe indige-
ant, qui eam fortè petunt, satiūs fuerit dare eandem,
quam negare: atq; ità id, quod cum beneficētia Chri-
stiana coniunctum fuerit, eligere. Nam vt fortè per-
das pecuniā tuam, id tamē leuius malum fuerit, quam
proximo tuo, si fortè egeat ope tua, nō subuenire: im-
mò ipsa, quam affers, beneficiandi voluntas Deo gra-
ta erit. Sed si qui petit stipem, eget quidem ea, sed ma-
lē aut vixit, aut viuit, huic tu quid facies? Si fortè vitam
huius & mores cōsideraueris, causa erit, cur quod pe-
tit, neges. Sin verò conditionem humanæ naturæ, &
quòd proximus tuus est, spectaueris, non erit, cur non

tri.

tribuas ei quod petit. Ac si ijs, qui nobis malefice- 139
rint, benefacere debemus, quoties ope nostra indi- August.
gent: quanto magis debemus idem officium ijs, qui noin psal.
benè viuunt, tribuere?

Iam verò modus, intra quem Eleemosynam ero-
gare debemus, talis sit, vt qui habet multūm, multūm
largiatur: Qui autem parūm, parūm. Nec Deus minūs
hunc, quām illum remuneratur, eō quōd non tam fa-
ctum, quām voluntatem cuiusque in hoc genere æsti-
mare solet. Statuit huius rei documentum mulier illa
tenuis, que in Gazophylacium tenuem monetā con- Mar. 12.
iecerat, cuius benignitatem piam Christus ipse com- Luc. 21.
mēdauit. Et quanquām, vt suprà etiam à nobis positū 2. Cor. 9.
est, hilarem datorem diligit Deus, non tamen est, cur
in hāc rem nimis profundas, & te exaurias: & vt ma-
lē sittibi, cùm alteri ex largitione tua benè sit. Ac si in
vlla alia re, certè in hac liberalitas laudanda est. Nam vt 2. Cor. 9.
Paulus inquit, Si voluntas prompta est, secundūm id
quod habet, accepta est, non autem secundūm id quod
nō habet. Non enim vt alijs sit remissio, nobis autem
tribulatio. Breuiter, meminerim⁹ eius quod Christus
ipse de hoc genere dixit: Date eleemosynā de eo, quod
superest vobis. Quōd autē attinet ad egētes, qui Elec- Luc. 11.
mosyna sustentātur, horum officium postulat, vt pro
ijs, à quibus beneficium illud accipiunt, Deum obse-
crent. Quod Corinthijs suo tempore solenne fuisse 2. Cor. 9.

140 scribit Paulus. Validi autem illi, qui labore manuum suarum acquirere possunt vnde alantur, Eleemosynā nequaquam exigāt, nē & Ecclesię, à qua eam accipiūt, iniuriam faciant, & verè egentibus præripiant, vnde hi viuant: id quod Deum grauiter sane offendere videatur. Iam & qui cum potestate sunt, non solum priuatim, sed etiam publicè rationem habeant, & hoc egentium sibi negocium à D E O quodammodo datum putent, vt ptochodoxia, nosocomia, & xenodochia benè constituta habeant, nē ab eis desiderari possit, quod proximis, proximis dico? immò verò quod Christo ipsi, tribuendum est misericordiæ officium: Et ipsi tandem cum omnibus sanctis illam iucundissimam vocem Domini huius nostri audire possint: VENITE benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnū à constitutione mundi. Cui cum Deo patre ac Spiritu sancto sit laus, honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Matt. 25.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

QVIA iam de omnibus pietatis atque vite officijs satī dictū est, nec p̄termissum quicquā earum rerum, quibus vel Deum colere recte, vel viuere inter nos amanter possimus: Reliquum est, ut rationem mysteriorum Dei atque Sacramentorum, per

per quæ, vt vasa quædam, Deus gratiam suam nobis 141
distribuit, explicemus. Quòd autem Sacra menta hæc
vim habeant & fidei, qua gratiam promissam accipia-
mus, excitandæ, & gratiæ tribuendæ, constat ex illo ^{1. Cor. 6.}
Paulino: Nolite errare. neque fornicarij, neque ido-
lis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque
masculorum concubitores, neque fures, neque auari,
neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnū
dei possidebūt. Et hęc aliquandò quidē fuistis, sed ab-
luti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in no-
mine Dñi nostri IESV CHRISTI, & in spiritu dei nostri.
Item, Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data
est tibi per prophetiam cum impositione manū pre-^{1. Tim. 4.}
sbyterij. Et quanquam DEVS etiam sinè Sacramen-
tis nobis salutem dare potest, tamen quia nostra inter-
esse videtur, vt per ea, quæ sub sensum cadunt, ad co-
gnitionem, fidemq; gratiæ spiritualis ducamur, & eam
hauriamus, instituta sunt diuinitiis sacramēta nostra,
vt qui eadem contemnit, ingratus sit erga Deum: nec
dignus, qui gratiam, quæ per eadem sacramenta deri-
natur ad nos, consequatur. Quo minus vlli hominum
licet aut omnia hæc, aut aliqua eorum contemnere, &
non grato potius animo beneficentiam diuinam ex
eisdē agnoscere, eisque, quotiēs opūs est, vti. Sed nūc
de singulis.

DE BAPTISMATE.

S 3 Chri-

Matt. vlt.

Tit. 3e

Ioan. 3.

Christus mysterium hoc sacrum sic instituit:
 data est mihi omnis potestas in cælo & in ter-
 ra. Euntes ergo docete omnes gentes, bapti-
 zantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.
 Cui sacramento vis gratiae eius attributa est, ut & repur-
 get, & regeneret. Nam quatenus nos sensibili ratione
 lauat, eatenus per spiritum sanctum insensibili modo
 sordes peccatorum nostrorum eluit, ita ut & origina-
 le peccatum & actuale, si quod contraximus, nobis do-
 netur; ac nos abieciro veteri homine, in nouum, qui
 secundum Deum creatus est, reuiuiscamus. Etenim
 scriptum est apud Paulum: Cum autem benignitas &
 humanitas apparuit saluatoris nostri Dei, non ex ope-
 ribus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum miseri-
 cordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenera-
 tionis & regenerationis Spiritus sancti, quem effudit in
 nos abunde per Iesum Christum saluatorem nostrum, ut
 iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem
 vitae æternæ. Erat quidem diuinitus paratum, ut quæ-
 admodum nos a parentibus nostris generari oporte-
 ret, ut essemus; ita necesse esset sacramento hoc rege-
 nerari nos, ut sancti iusti quis essemus. Hinc illud Christi:
 Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non introi-
 bit in regnum cœlorum. Actum quidem mysterio hoc
 recte initiatur quispiam, siue adultus sit, siue infans, cum
 ad baptismum quo lauatur, accedit verbum illud solene:

Baptiz.

Baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. 143

Hoc autem interest inter infantem & adultum, quod
ille fructum sacramenti, qui in remissione peccato-
rum, sanctificatione, & hereditate æternæ vitæ consi-
stit, consequatur, etiam si motum nullum poeniten-
tiæ ac fidei attulerit, prout eum nequid afferre po-
test. Hic autem nec sine pœnitentia, nec sine nutu fi-
dei eundem percipiat. Scriptum est namque diuinitus,
Agite pœnitentiā, & baptizetur unusquisque vestrum.
Item, Qui crediderit & baptizat⁹ fuerit, saluus erit: qui
autem non crediderit, condemnabitur. Ac si forte hic,
cum iniciatur, non credit, verum est tamen baptismus
eius, nec iterandum: Etsi nequid utile est, posteaquam
pœnituerit eum peccatorū suorum, atque ipse credi-
derit, recte fructum sacramenti non minus obtinebit,
quam si initio eum pœnituisse, atque ipse credidisset.
Et quanquam infans sine motu fidei sua utiliter ba-
ptizari potest, tamen sine fide Ecclesiae non baptiza-
tur, idque de sententia veterum. Iam mysterium hoc
constat aqua, & solenni illa verborum formula, de qua
paulo superius: ut si nihil accesserit praeterea, idem per
se satis habeat virium ad nos regenerandos. Et quan-
quam ex instituto Ecclesiae huic sacramento additi sunt
ritus certi, eorum praetermissio baptismus non vitiat,
tamen quia utiles sunt & mysterio adumbrando cum
primis apti, si quis contemnit eosdem, peccat: cum

præ-

144 præsertim testimonia habeāt à vetustissimis Patribus,
& ab Ecclesia per totum orbem fusa approbentur.

DE CONFIRMATIONE.

AD gratiam repurgātem accedit beneficio Dei
gratia corroborans, quæ eos, qui veniam pec-
catorum impetrārunt, cōfirmat, & in hac per-
petua quasi militia nostra contra hostes nostros, car-
nem, mundum & sathanam, armat. Hinc illud CHRI-
STI de Spiritus sancto, qui hoc donum affert secum, &
præcordijs nostris infundit: Nisi ego abiēro, paracle-
tus non veniet ad vos. Quantam autem vim habeat
gratia Spiritus sancti ad animos nostros cōfirmando-
s, corroborandoque, documētum statuerunt Aposto-
li, qui cùm, antequām mitteretur Spiritus sanctus, ani-
mis non ita firmis erectisque fuissent, sed à C H R I-
STO, metu periculorum impulsi, fugissent: posteā ta-
men tanta animorum cōstantia atque fortitudine fu-
erunt, vt māllent mortem oppetere, quam nomen ei-
us sanctissimum negare. Quæ gratia ut per sacra-
mentum aliquod atque lignum sensibile deriuaret ad nos,
atque fidem nostram ad eandem ipsam accipiendam
excitaret, certè cùm Apostoli, qui erāt Hierosolymis,
ut scriptum est à Luca in Actis Apostolorū, audissent
Samaritanos Verbum Dei recepisse: miserunt ad eos
Petrum & Iohannem, qui cùm ascenderint, oraue-
runt

Ioh. 16.

A&.3.

runt pro eis, ut acciperent Spiritum sanctum: nōdūni 145

enim in quenquam eorum superuenerat, sed bapti-
zati tantum erant in nomine Domini IESV. Tunc
imponebant manus super eos, & accipiebant Spi-
ritum sanctum. Actum Christus per Apostolos Sacra-
mentum manuum impositionis, seu Confirmationis

induxit. Quod haud dubiè Christus nō minùs ratum

habuit, quām si ipse per seipsum illud induxisset. Re-

& è enim Cyprianus, qui inquit: Non minùs ratū est,
In serm.
quod dictate spiritu sancto Apostoli tradiderūt, quām
de lotiōe
pedum.

quod ipse Christus tradidit. Quòd autem hīc Aposto-

li non adhibuerint inanem impositionis manuum ri-

tum, sed verum sacramentū atque utile, declarauit ipse

rerum euentus. Nam donum linguarum, quod initio

cum gratia corroborante Samaritanis tributū fuit, do-

cumentum dedit, hoc sacramentum inane non esse.

Atque ut donum hoc ad tātum tempus Ecclesię usui

fuit, ita postquām desijt utile esse, per sacramentū am-

plius collatum non fuit: sed tamen sacramentū idem,

quantum ad vim corroborādi attinet, esse non desijt,

et quod Ecclesia vi eadem nunquām non eget. Hinc

illud Augustini: Non temporalibus & sensibilibus mi-

raculis attestantibus per manus impositionem nunc

datur Spiritus sanctus, quemadmodūm antē dabatur iustas.

Lib. 3. cō-
tra dona-

ad commendationem rudis fidei & Ecclesiæ primor-

dia dilatanda. Quis enim nunc expectat, ut iij, quibus

T ma-

146 manus ad accipiendū Spiritum sanctum imponif, re-
pentē incipiāt linguis loqui. Sed inuisibiliter & laten-
ter intelligif per vinculū pacis in eorum cordibus di-
uina charitas inspirari, vt dicere possint: Quoniā cha-
ritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum
sanctum, qui datus est nobis.

Rom. 5.
Chrismatis autem, quod ad impositionē manuum
in hoc sacramento accedit, ritus est puetustus, & non
solūm ecclesię solennis, sed ab ipsis etiā Apostolis p-
fectus. Cuius quidem rei testis est locupletissimus Fa-
bianus pontifex atque Martyr. Facit huius sacramēti
mentionē Tertullianus, & ait: Caro inungit, vt anima
consecrēt: caro signat, vt anima muniat: caro manus
impositione adumbrat, vt anima spiritu illuminetur.
Additur certa verborum formula cum inuocatiōe no-
minis diuini, quæ cùm omnia ritē, & ea ratione, quā Ec-
clesia approbat, fiant, quo iure repudiari aut ex Eccle-
sia tolli possint, equidem non reperio.

Quin si qui adulторum hoc mysterio initiant̄, cogi-
tent per manus impositionē episcopi, & inuocationē
sancte trinitatis se accipe Spiritūsanctum è celo veni-
entem, qui ipsos cōfirmet, & dum cruce consignant̄
& chrismate inungunt̄, cogitēt de pugna, qua sub si-
gno CHRISTI manus conserere debent: cogitent item
de pinguedine & abūdantia gratiæ, quam Spiritus san-
ctus affert, & ad confirmādos & contra aduersa omnia
muni-

muniendos infundit, eoq; maiorem in deo spem po- 147
nant.

Et quanq; adiultos potissimum cōfirmandos puto,
nec antē quidē, q̄ exomologesin fecerint, vt eo se me-
liūs ad hauriendam gratiam huius sacramenti accom-
modent, quemadmodū Synodo Aurelianē sanci-
tum est, tamē nec paruulos ab eodem remouēdos cen-
seo, idq; vt cum gratia DEI, quam sacramentum tribu-
it, in Domino quodammodo adolescent: neq; enim
CHRISTVS fruſtrā hos ad se venire, eisq; manus impo-
nere voluit. Sed de hoc Sacramento haçtenūs. festino
enim ad EVCHARISTIAM.

DE EVCHARISTIA.

DEVS non solūm eam gratiam tribuit nobis,
vt corroboremur & quodammodo armemur
ad pugnam cōtra hostes nostros, sed etiam vt
omni bono spiritali nutriamur, atque ita in Domino
augeſcamus, quatenūs nobis corpus suum vt cibū, &
ſanguinem vt potum saluberrimum præbet. De quo
ipſo extant hæc CHRISTI verba: Amèn Amèn dico vo-
bis, niſi manduaueritis carnem filij hominis, & bibe-
ritis eius ſanguinem, non habebitis vitā in vobis, qui
manducat meam carnem & babit meum ſanguinē, ha-
bet vitam æternam: & ego resuſcitabo eum in nouissi-
mo die. Caro enim mea verè eſt cib⁹, & ſanguis meus

Ioh. 6.

T ij ve-

148 verè est potus: Qui manducat meam carnem, & babit
meum sanguinē, in me manet, & ego in illo. Et quan-
quam hic potus & cibus spiritalis est, ac fide atq; spi-
ritali ratione rectè capitur, tamen nè nobis Christus do-
minus noster vlla in re ad salutē vel necessaria vel utili-
deesset, certè vt gratiæ repurganti accōmodauit Sacra-
mentum Baptiſmi, & gratiæ corroborantī Sacramen-
tum Cōfirmationis, ità cibo illi spiritali & gratiæ nu-
triēti Sacramentū corporis & sanguinis sui, quod Eu-
charistiā vocamus, attribuit. Nam vt Matthæus inq;
Cœnētibus Apostolis accepit Iesus panē, & benedixit
ac fregit, deditq; discipulis suis, & ait: Accipite & cōe-
dite: Hoc est corpus meum. & accipiēs calicem, gratias
egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: hic est
eñ sanguis me⁹ noui testamēti, qui pro multis effun-
detur in remissionem peccatorū. Nam simulāc verba
hæc, Hoc est corpus meū: itē, Hic est sanguis meus: ad
panem & vinū accedunt, fit è pane & vino corporis &
sanguinis Christi Sacramentū. Quod qui negat, non
solūm sensum Ecclesiæ Catholicæ de hoc mysterio,
sed etiā aperta illa verba Christi, Hoc est corpus meū,
oppugnat. Item, Hic est sanguis meus noui testamēti,
in dubium planè vocat. Et quāquam eare species sen-
sibiles, ipsa nimirūm accidētia panis & vini, non tol-
luntur, substantiam tamen panis & vini in substantiā
corporis & sanguinis Christi, eiusq; veri, cōuertri atq;
tranſ-

transmutari dubitare haud debemus, nè verbo Dei, atq; 149
adèò Christo ipsi, iniuriā facere, & sanctis synodis atq;
ipsi adèò vniuersæ Ecclesiæ repugnare videamur.

Quin etiam cauendum est nobis, nè credamus cor-
pus Christi verum & sanguinē verum, etiam post cō-
secrationem in Eucharistia non contineri, antequām
sumptio acceſſerit. Etenim si hoc ità haberet ſeſe, po-
tetas verbi diuini, eiusq; consecrantis, cùm factō homi-
nis cōmunicaretur: vt non ſolū verbo Domini, ſed
etiam sumptione hominis mysterium hoc confici vi-
deretur. Iminò ſi quid forte post verbū domini enun-
ciatum accideret alicui eorum, qui Eucharistiā ſumere
vellet, vt eam capere non poſſet, illud quidem eueni-
re neceſſe eſt, vt quod verbo eodem diceretur, Hoc eſt
corpus meum, iam corpus non eſſet, atq; ità nos idem
verbum falleret. Quod quale eſſet, & quām absurdū,
facile intelligunt, quicunque Christo, quem debent,
veritatis ſummæ honorem habent. Ac nè in ſuperio-
rem atque hunc errorem incidiamus, monet nos gra-
uiter Gregorius Nyffen^s sapientissim^s pater: Vt em̄,
inquit, illuc Christus verbi ſui gratia ſanctum efficit il-
lud corpus, cuius firmamentum ex pane conſtabat, &
iſtud etiam quodammodo panis erat: Sic etiam hic pa-
nis per verbum dei & orationē ſanctificatur, non quia
comeditur, cò progrediens, ſed ſtatim per verbum in
corpus mutatur, vt dictum eſt, in verbo, Hoc eſt cor-

DOMN

T 3 pus

150 pus meum. Verùm vt errores illos perniciosos fugere & cauere debemus, primùm nè verbo domini panē & vinum in verum eius corpus & verū sanguinem conuerti dubitemus: tum nè existimemus, Sacramentum hoc corporis & sanguinis Christi non antè verbo domini confici, quām capiatur: Ità contraria horum credere debemus, nè mysterio hoc, quod ad salutem nostram institutum est diuinitùs, ad perniciem nostram turpiter abutamur.

Nunc verò vt eo animo, quem res postulat, ad mysterium hoc accedamus, sic nobis persuadeamus, cibū hunc saluberrimum vitam dare mundo, & eum afferre fructum, vt is, quem alit, ità Christo adglutinetur, vt maneat in hoc Domino, & Dominus hic noster in eo: Tum vt nos omnes in vnum quasi corpus coalescamus, quotquot ex uno pane participam⁹. Ac quia hic non cōmunem cibum atq; potum, sed Christi corpus atq; sanguinem capimus, certè quanto maius est & diuinius hoc mysterium, tanto magis cauere nos oportet, nè idem indignè sumamus. Indignè autem sumit, qui vel aliter sentit de hoc Sacramēto, quām debet, vel non verè resipiscit. In quantum autem periculū talis homo seipsum conijciat, planum facit apostolus cùm inquit: Nā qui edit & bibit indignè, iudicū sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.

Quo magis veterem Ecclesiæ morem probo, quo
non

non antè hoc mysterium dispēsatur peccatori, quām
hic Sacramento pœnitentiæ est repurgatus. Quod
ipsum qualem vim habeat, suo deinceps loco docebi-
mus. Hæc hactenūs de vna Eucharistiæ parte, quæ vt
cibus & medicamentum quoddam animæ capitur.

Venio nunc ad alteram Eucharistiæ partem, hoc
est, ad oblationem. Nam quatenūs Christus dixit, Ac-
cipite & comedite & bibite ex hoc omnes, cibum &
potum animæ salutarē induxit: quatenūs autem adie-
cit, Hoc facite in meā cōmemorationem, eatenūs Li-
turgiam atque Sacrificium Ecclesiæ instituit. Atque
huius non ea est ratio, vt sacrificio crucis, quod nobis
salutem peperit, quicquam vel addat, vel adimat, aut
nobis totiès mereatur remissionem peccatorum quo-
tiès adhibetur: Sed eum potiùs finem, quò referatur,
propositum habet, vt memoriam illius summi, quod
nobis in cruce datum est, beneficij quotidiè in animis
nostris renouet, vt pro eodem gratias, quas possumus
maximas agamus, & sublatis animis in cœlū, vbi Chri-
stus ad dexteram Maiestatis sedet, precemur, vt idem
Dominus è fonte, quem nobis omnibus in sanguine
suo constituit, deriuet, distribuat, applicet, quantum
cuique ad salutem satis sit. Quod qui facit, & ità se mi-
sericordiæ Diuinæ atque cruci Christi salutem suam
committit, huius neque fides, neque spes fallitur.

Hæc est viua illa cōmemoratio mortis Domini, &
sacri-

152 sacrificium altaris, dum sub specie panis & vini hostia corporis & sanguinis Christi incrueta a sacerdote deo sistitur atque offertur, prout eandem Christus in celo Deo patri, cuius vultui apparet semper, sistere non definit: id est & hostia suauissimi odoris, & sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Hae cogitare, & in Christum spem nostram ponere debemus, omnes qui sacrum hoc vel facimus ipsi, vel audimus, ut mortem Domini huius nostri gratia commemoratione prosequi, & frumentum crucis, qui est fonte saluatoris ad nos deriuatur, ceterius capere possimus. Quo ipso nihil ad aliquid fidem nostram pietatemque veram, immo nihil ad ea, quae ex Evangelio Domini nostri Iesu Christi auribus percipimus, in usum nostrum salutarem transferenda aptius vel esse vel excogitari potest. Atque haec est illa ipsa oblatio munda, de qua Malachias: atque sacrificium iuge, de quo Daniel. Nunc de poenitentia.

Mal.1.
Dan.9.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE

AC quoniam Deus pro misericordia sua non solum ea vim gratiae tribuit nobis, ut repurgemur & iustificemur, sed etiam, ut ad pugnam corroboremur, nec solum ut ad pugnam corroboremur, sed etiam ut spirituali quadam ratione alamur atque nutritamur: Idem certe ut nobis ex omni parte succurrat, si for-

si fortè gratiam, qua iustificati sumus, amisimus: opem 153
fert benignè, vt beneficio ipsius candē recuperare pos-
simus. Ac quo meliùs de nobis mereretur, huic etiam
generi propriū quoddam Sacramētum attribuit, atq;
in hæc verba instituit: Accipite Spiritum sanctū: quo- Isaia 43.
rum remiseritis peccata, remittuntur eis. E quibus ver-
bis intelligitur præclarè, Christum Dominum hīc nō
inanem induxisse cæremoniam, sed sacramentum ve-
rū, per quod in eam, vnde decidimus, baptismatis gra-
tiam restituamur. Est quidem in solius Dei potestate
situm, donare peccatū: ego sum, ego sum, inquit Deus,
qui deleo iniquitates tuas propter me. Itaq; Christus
vno eodem q; tempore & Spiritum sanctū largitus
est discipulis suis, & potestatem ligandi soluendi q; de-
dit: vt non tam ipsi, quam Spiritus sanctus per eos pec-
cata remittere videretur. Rectè igitur Ambrosius: Sa-
cerdos quidem officium suum exhibet, sed nullius po-
testatis iura exercet: Minister est quidem Sacerdos, sed
Deus author. Quamobrē quotiēs peccata tua tibi do-
nantur per Sacerdotem, cogita hunc nō sua, sed Chri-
sti potestate vti, vt fides tua atq; spes non sit in homi-
ne, sed in Deo viuente, in cuius solius potestate est re-
mittere peccata, siue per Ministrum, siue sinè Mini-
stro: siue per Sacramentum, siue sinè Sacramento.

Iam verò vt huius sacri mysterij fructum percipe-
re possit quispiam, cum pœnitentiam atque fidem in-

V Deum

Deum afferre necesse est: Pœnitentiam, qua ita cum
pigeat peccatorū suorum, vt ab eis auertatur: Fidem,
qua confugiat ad thronum misericordiæ, & gratiam
quam sacramentum exhibet, accipiat. Ac si quis for-
tè antequam absoluatur à sacerdote, (in quo ipso vis-
huius Sacramenti consistit) fide iustificatus sit, non ta-
men ei inane fuerit idem Sacramentum. Etsi enim
non veniam huic, tamen consolationē maiorem atq;
plus roboris afferre solet. Sin verò ne cùm iustifica-
tus quispiam sit, ei non solùm vtile, sed etiam necessa-
rium fuerit hoc mysterium: maximè si conscientia ei-
us ita perturbata sit atque intricata, vt sinè Sacramen-
to hoc nec consolationem yllam, nec remedium ad-
mittat. Quo minùs committendum est nobis, vt my-
sterium hoc contemnamus, nec quod Deus per hoc
idem dat beneficium, non gratis animis agnoscamus,
& quoties opus est, accipiamus. Quod nisi fecerimus,
erimus planè incogitātes, & à nostra ipsi salute alieni.

Atque vt se quisque de more Ecclesiæ Catholice
Sacramento huic recte accommodet, in aurem Sacer-
dotis, quē penès est potestas absoluendi, peccata eum
sua confiteri atque aperire singula oportet. Ac nè quis
fortè putet h̄c sibi onus grauius, quam ferre possit,
imponi: sic habeat, non alia peccata enumeranda esse
sibi, quam lœtalia, si quæ non anxiæ, sed tamen dili-
genter cogitanti in mentem veniant: Reliqua autem
omnia,

omnia, generali cōfessioni includenda. Quòd autem ad circumstantias ipsas delictorū attinet, non alias re-censere debemus, quām quæ peccatum augent, & ge-nus eius mutant. Si consuetudinem turpem habeas cum virgine, eamque vities, peccas grauiter: grauius, si cum aliena vxore: id quod transit in aliud genus pec-cati, & fit adulterium. Grauissimè autem, si cum fœ-mina tibi cognata: fit enim incestus. Huiuscemodi cir-cumstantias te enumerare singulatim oportet. Ex his nanque agnoscitur rectè & qualitas peccatorum, & magnitudo. Ac cùm Sacerdos, à quo absolutionem petis, potestatem habeat non solum soluendi, sed eti-am ligandi, nec facile statuere possit, vtrum soluere an ligare debeat, nisi peccata tua lœtalia singula cognoue-rit: certè quatenus hoc Sacramentum institutum est, etenus etiam confessio cum enumeratione peccato-rum si non nominatim, tamen tacita quadam ratione instituta esse videtur: cùm officium in hac re suum ita vt oportet, facere non possit Sacerdos, nisi confitens ei peccata quæ conscientiā suam angunt, singula ape-ruerit: Quippe cùm occulta sæpè peccata grauiora sint manifestis. Quarè & Sacerdotis, qui confidentem au-dit, & eius, qui Sacerdoti confitetur, interesse videtur, vt Exomologesis illi fiat: idque certè nō minùs, quām Chirurgi & eius, qui saucius est, vt hic vulnus suum il-li aperiat atque monstret: idque tanto magis, quanto

156 maiore cum periculo Sacerdos, si temerè soluat, errat.
Quo magis laudandum puto morem illum Ecclesie
veterem, ut peccata sua quisq; Sacerdoti speciatim re-
censeat toties, quoties absolutione ab eo petit. Quin
ita planè statuo, cum in hoc genere Sacerdos persona
Christi quodammodo sustineat, dum absoluit ipse, per-
inde esse, ac si Christus ipse absolveret. Quod quan-
tum consolationis bonis atque pijs mentibus afferre
potest, malo vos tacitos cogitare, quam ego de re apta
multus esse.

Iam etsi qui corde conuertitur ad Deum, mox im-
petrat culpæ suæ & æternæ pœnæ veniam, tamen nec
reliquijs peccati, nec omnis temporalis pœnæ metu
subito liberatur. Itaque qua authoritate scripturæ do-
cemur, Christi satisfactione peccata nostra expiari, ea-
dem monemur, ut dignos pœnitentiæ fructus facia-
mus. Quorum duplex sanè ratio est: altera, ut excin-
dantur reliquiæ peccati, & vita mutetur, de qua illud

Rom. 6. Apostoli: Humanum dico propter infirmitatem car-
nis vestræ: Sicut enim exhibuistis membra vestra ser-
uire iniustitiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc
exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctifica-
tionem: Altera vero, ut non solum vita mutetur, sed
etiam caro castigetur, idque ut pœna quam Deus pec-
catoribus infligere solet, temporalis vel auertatur, vel
mitigetur. De quo genere ita Iohel: Nunc vero con-
uerteri

Iohel. 2.

uertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & in

157

fletu & in planctu, & scindite corda vestra, & non ve-
stimenta vestra, & conuertimini ad dominum Deum
vestrum, quia benignus est & misericors, patiens &
multæ misericordiæ, & prestabilis super malitia: Quis
scit si conuertatur & ignoscatur, & relinquit post se be-
nedictionem? Consistit hoc genus in Ieiunio, Ele-
mosyna & oratione potissimum. Quin fructus iijdem
pœnitentiæ, sunt actiones peccatis cōmissis aduersæ.
Rapuisti aliena: non solum hęc restitue, sed de tuo eti-
am largire. Intemperanter vixisti: nec solum hoc vita
in posterum, sed etiam ieiunio atque inedia carnem
tuam castiga. Malefecisti proximo tuo: nec solum hoc
in posterum fuge, sed etiam eidem quem ləsistī, be-
nefac, & hūc tibi officijs charitatis obstringe. Et quan-
quam Deus remissionem impunitatemq; tales pro-
misit actionibus nostris, non alijs tamen, quam quæ
sanguine Christi adspersæ fuerint, eam promisisse vi-
detur: ut nec h̄ic homo habeat, quo in seipso glorie-
tur. Ac quo minùs dubites, quin remissionem eius-
modi impunitatemq; consequatur, qui seipsum con-
demnārit atque castigauerit, eius rei spem Apostolus
ostēdit, dū inquit: Si nos met ipsos dijudicaremus, nō i. Cor. ii.
vtiquè iudicaremur à Dño. Quod et si ita se habet, &
sibi quisq; in hoc genere consulere potest, tamē cau-
tē atque vtiliter omnino fecerimus, si sacerdotem cui

V 3 con-

158 confitemur, in consilium adhibuerimus: & quā ipse
prescripscerit rationem faciendorum fructuum pœnitentiaæ,
gnauiter fuerimus secuti. Quo ipso de nobis
ipsis benè omnino merebimur. Sed hæc satiæ de Sa-
cramento pœnitentiaæ.

DE EXTREMA VNCTIONE

QVOS Deus per Sacramentum pœnitentiaæ
repurgat atq; regenerat, eosdem per Euchari-
stiam spiritali quadam ratione alit atq; nutrit.
Quod si eam etiā vim habet, vt sit illud saluberrimum
viaticum migraturis ex hac vita, tamen quia extremo
vitæ nostræ tempore tanto plura gratiæ Diuinæ nos
præsidia habere conuenit, quanto maiore in periculo
versamur, & metu impendentis mortis vehementius
angimur atque torquemur: Certè Deus per Aposto-
lum suum Iacobum, cuius ore ipse haud dubie locu-
tus est, peculiare Sacramentum, & id quidem mori-
bundis accommodatum, in hæc verba instituisse vi-
detur: Infirmatur aliquis in vobis? inquit idem Apo-
stolus & frater Domini, inducat Presbyteros ecclesiæ,
& orent super eum, vngentes eum Oleo in nomine
Dominii: & oratio fidei saluabit infirmum, & allelia-
bit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.
Oleum, in quo tanquam materia sua versatur myste-
rium hoc, signum est interioris atq; spiritualis vnctio-
nis:

Iacob. 5.

nis: vt cùm corporis morbo oppressus sis, respires in 159
Christo, qui est vñctus oleo iustitiae prä participibus Psal. 44.
suis: & cogites te tanquam Athletam ad extremam pu-
gnam in nomine Domini inungi, vt nulla vis mortis
aut Sathanæ animum tuum frangat, sed eodem potius
erecto perrumpas, & victis hostibus illis, spiritus tuus
in illa æterna tabernacula subuoleat. Accedat huc ora-
tio presbyterorum Ecclesie, de qua idem Iacobus, quæ
utulis sane est ægroti, & eius animu vehementer con-
firmare solet, vt confidat se à deo tanquam viuū Eccle-
siæ membrum respici, eoq; minus dubitet se Domini
esse, siue viuat, siue moriatur. Ac cùm triplex sit huius
mysterij fructus, sanitas corporis, in columitas animæ,
& remissio peccatorum, quatenus horum reliquie de-
lentur: certè vt dona hæc gratiæ Diuinæ separata sunt
natura sua, ità etiam separatim per hoc Sacramentum,
tanquam cannalem, ad nos deriuari possunt. Quo mi-
nus quenque moueat, quod non ornes qui inungi-
tur, è morbis suis cōualescant. Vt enim qui Sacra-
mento Confirmationis initiantur, etiamsi donum lingua-
rum non accipiant, nihilo minus tamen Spiritum san-
ctum consequuntur: ità multi in columitatem animæ
& remissionem peccatorum consequuntur per extre-
mam vñctionem & presbyterorū orationem, etiamsi
sanitas corporis non accedat. Quarè tantum abest, vt
Sacramentum hoc iurè repudiare possimus, vt, si fece-
rimus

160 sumus idem, re ad salutem vtili nos ipsos priuemus, & graui ingratitudinis genere obstringamur.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

VT ius naturæ Religionē approbat, ita etiam Cæmonias & Sacerdotes, qui eidem Religioni colendæ apti sint. Ac quia ea, quæ iuris naturæ sunt, non sanè vñquam tolli possunt, certè nihilominùs sacrorum ritu atq; sacerdotio, quam Religione carere possumus. Sacerdotium autem ipsum tanto est melius, quanto finis eius quod refertur, est melior, ipsa nimirum gloria Dei, salus animarum, & ædificatio corporis Christi. Partes autem eiusdem muneris sunt principiæ, quas Christus ipse in scripturis commendat, dum inquit: Accipite Spiritus sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Item, Euntes in mundū universum, prædictate Euangeliū omni creaturæ. Item, Hoc facite in meam cōmemorationem. Item, Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia, quæcunq; mandaui vobis. Ut autem ad has atque alias partes muneris sui sacerdotes nostri idonei fiant, institutum est Sacramentū Ordinis, quo in munus illud suum quodammodo consecrentur, & id quidem per manuum impositionem. Hinc, ut scriptū est in Actis Apostolorum, cùm Barnabas, Simon & Lucius Cyren-

Ioan. 20.
Marci 16.
Lucæ 22.
Matt. 28.
Actor. 13.

nen-

nensis, & Manahen ieunâssent, dixit eis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc ieunantes, imponétesque eis manus, dimiserunt eos. Neq; verò hæc manuū impositione & quasi consecratio inanis est ritus, sed Sacramentum utile, & tale prorsus, vt per id gratia tribuatur ihs, qui consecrantur: & talis quidē gratia, vt ad partes munera sui peragēdas habiles atq; idonei efficiantur. Cuius quidem rei fidem facit Paulus dum scribit Timotheo suo: Noli negligere gratiā quæ in te est, quæ data est tibi per impositionem manuum. Reliquū est, vt de Sacramento Matrimonij agamus.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

TRIMONII.

Scriptum est diuinitūs, Et creauit Deus hominē ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculūm & fœminam creauit eos: Benedixitq; illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Quibus ipsis verbis Deus eam inseruit vim homini, quem creauerat, vt ipse genus suum propagare posset, atq; hanc procreandi vim, nè in vagam venerem irrueret, certa coniunctionis lege adstrinxit, atq; ita Matrimoniū, quod esset vnius maris & vnius fœminæ indiuiduæ societas, instituit. Hinc illud Geneseos: Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.

X Atq;

Atq; hæc vnius viri cum vna vxore coniunctio inducta fuit nō solùm, vt liberi procrearen̄ honestè, sed etiā vt rectè educarent̄. Quod em̄ suum est, quisq; diligenter excolit, q̄ quod vel alienū est, vel ei cum multis cōmune. Et quanq; matrimoniū vt primò in paradiſo institutū fuit, honestā pcreationem sobolis atq; educationē, vt fines certos, quò referret, ppositos habuit, poste à tamē q̄ peccatū corrupt naturā humanā, eamq; ita affixerat, vt cùm alijs cupiditatib⁹ prauis, tū libidine agitare, ad priores matrimonij causas accessit itē Tertia, vt videlicet scortatio & adulteriū vitaret, de qua ita Apostolus: Habeat vnuſquisq; vxorē suam propter fornicationē. Rectè igit̄ Augustinus cōcubitum coniugalē generandi causa nō habere culpam: cōcupiſcentię faciendę causa culpā quidē habere, sed tamē cōiuge, ppter fidē tori, venialem: Adulteriū vel fornicationē, culpā habere loetalem. Etsi em̄ matrimoniū ex prima institutione tale fuit, vt inter duos tātū cōstaret, vnū nimirū virū & vna vxorē, idq; vt essent duo in carne vna, nec ex alia, q̄ adulterij causa diuortiū fieri liceret: tamen cùm peccatū naturā nostrā vitiāſſet, datum fuit aliquid imbecillitati hūanę, idq; maioris mali vitandi causa, videlicet n̄ alter cōiugum alteri mortem aut optaret, aut pcuraret. Nam lex Mosaica pmitit, vt etiā ex alia q̄ adulterij causa, alter alteri libellū re pudij mittere posset. Quin etiā vt vni viro multas vxo-

res habere liceret, idq; vno eodemq; tempore: Verūm 193
posteaquam Christus in hanc terram delapsus est, ac
omnia quæ in celis & in terris sunt instaurauit, coniu-
gibus etiam perbenignè subuenit, eisq; talem gratiam
adiunxit, vt fides quam cōiunx coniugi debet, p̄fſtari
faciliūs atq; pleniūs possit. Quin rationes matrimonij
itā constituit, vt idem non solūm coniunctio sit ppe-
tua inter coniuges, sed etiam sacramētum quoddā, per
quod nimirūm id tribuat coniugibus, vt simulac alter
cum altero contrahit, eam accipiat vim, vt possit alteri
fidem tori ppetuò seruare. Eō fit, vt tempore hoc noui
testamenti cōiuges arctiore vinculo adstringantur, q̄
antē, nec liceat ampliū alteri cum altero ex alia, quam
adulterij, causa diuortium facere, & plures quam vnā,
vno eodemq; tempore habere vxores. Quorū vtrunq;
cauit Christus, cùm pharisæis interrogantibus, Quid
ergò Moïses mādauit dare libellū repudij, & dimittere Matt. 19.
eam? responderet: Quoniā Moïses ad duritiam cordis
vestri permisit vobis dimittere vxores vestras, ab initio
autem non fuit sic. Dico autem vobis, quod quicunq;
dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliā
duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœcha-
tur. Ostendit hīc Christus dono gratię suę duritiā cor-
dis eorū, quitempore hoc noui testamēti contrahunt,
itā leniri, vt eis necessè non sit, nec liceat, vel diuertia
facere, nisi ob adulterium, vel multas habere vxores.

164. Quin si alteri horū acciderit aliquid, vt amplius debitū
tori alteri reddere nequeat, hunc tamē fidem illi nihi-
lominūs cùm seruare posse, tum verò etiam debere. Et
quoniam gratiam eam haud dubiè accipiūt, qui in fide
contrahunt, certè matrimonium non solum status est
certus, atq; societas, sed etiam sacramentum, per quod
De bono hoc bonū ad nos fluat. Quod cùm Augustinus cernet
coniugal. ret, tria matrimonij bona enumerauit, fidem, prolem,
sacramentū. Ac cùm duo priora Christianis cū Iudæis
& Ethnicis cōmunia sint, vt videlicet adulteria vitent,
& procreent atq; edacent sobolem: Tertium autē ho-
rum, ipsum videlicet sacramētum, proprium est Chri-
stianorum. Viri, inquit Paulus, diligite vxores vestras,
sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit
pro ea, vt illā sanctificaret, eam mundans lauacro aque
in verbo vitæ, vt exhiberet ipsam sibi sanctam & glo-
riosam Ecclesiam, non habētem maculam aut rugam,
sed vt sit sancta atq; immaculata: Ita & viri debent dili-
gere vxores suas, vt corpora sua. Qui suam vxorē dili-
git, seipsum diligit: nemo enim vñquam carnem suā
odio habuit, sed nutrit ac fouet eam, sicut & Christus
Ecclesiam: quia mēbra sumus de carne eius, & de ossi-
bus eius: Propter hoc relinquet homo patrē & matrē,
& adh̄erebit vxori suę, & erūt duo in carne vna. Sacra-
mētum hoc magnū est, ego autem dico in Christo &
Ecclesia. Quo fit, vt Matrimonium admoneat nos &
con-

coniunctionis eius, quæ est inter Christum & Eccle- 165
siam, & gratiæ item, quam nobis idem Sacramentū in-
fundit. Cuius ea nimirūm vis est, vt coniunx coniugē
non minus quām seipsum diligit, nec se magis à con-
iuge sua, quām à seipso diuelli patiatur. Nam Matrī-
monium, quatenū Sacramentū est, eos coniuges qui
in fide idem contrahunt, ita conglutinat, vt quoād vi-
uunt, inter se honestam vitæ societatem tueri possint.
Quod qui non agnoscit, aut agnitu contemnit, is sine
graui ingratitudinis scelere gratiā atq; beneficentiam
Dei, quam affert, contemnere videtur.

Hæc habui quæ vt vobis de Sacramentis afferrem,
& res & salus vestra postulare visa fuit. Sunt quidē alia
horum alijs maiora, vt si quibus Christus non solū
materiam, sed etiam certam, qua conficiantur, verbo-
rum formam dedit: Cuius generis sunt Baptisma &
Eucharistia, sed tamen veram Sacramenti vim omnia
habēt. Hinc illud Augustini: Respice ad munera ipsi-
us Ecclesiæ, munus Sacramentorum in Baptismo, in
Eucharistia, in cæteris sanctis Sacramentis. Et quan-
quām non omnia Sacramenta formas verborum di-
uinitū traditas habent, tamen omnia & singula pro-
missiones habent, ad quas cùm signum externum ac-
cedat, fides nostra magis alitur. Ratio autē vera Sacra-
mentorū in eo cōsistit, vt sint insensibilis gratiæ sensi-
bilia signa, nec ullum est eorum, quæ in Sacramentis

166 numeraui, signorū, cui hæc definitio non rectè accōmodari possit. Etenim aqua baptismatis an non sensibile signum est gratiæ regeneratis, eiusq; insensibilis? Nón ne manuū impositio confirmationis? Sub eandē rationem cadūt Eucharistia & absolutio sacerdotis. Vt enim manuum illa impositio signum est gratiæ corroborantis, ità Eucharistia signū est gratiæ eius, quæ nos & Christo adiungit, & spirituali quadā ratione nutrit. Et vt Eucharistia tale est signū, ità etiam absolutio Sacerdotis signum est gratiæ insensibilis, quæ vim repurgandi & peccata remittendi habet. Par ratio est extre-
mę vñctionis, Ordinis atq; Matrimonij. Nam vñctio
cum oratiōe presbyterorum Ecclesiæ, signū est gratiæ,
quæ vel animis robur addit, vel reliquias peccatorum
delet, vel morbos hominum curat. Impositio manuū,
qua ordo confertur, signum est gratiæ, quæ hominem
ad munus Ecclesiasticum aptum atq; habilem efficit.
Nec minùs maris & fœminæ conuentio, qua Matrimonium
contrahitur, signū est gratiæ eius qua inter
se coniuges ità iungātur, vt alter alteri fidem tori per
petuò præstare possit. Quo minùs audiendi sunt, qui
sacramenta illa vel omnia, vel aliqua in ordinē cogunt.
Quod qui faciunt, ijdem seipso à gratia, quæ per Sa-
cramenta tribuitur, culpa sua dimouēt: homines non
digni beneficijs Dei, qui beneficia eius in Sacramen-
tis oblata, tanta cum insolentia aspernantur.

Hæc

Hæc ferè sunt, quæ de Institutione Christiani hominis afferenda putauimus, & ità id quidem, vt quieta ratione sententiam nostrā explicaremus, si quomodo è communi vestra cùm vtilitate tum salute verū officij fructum capere possemus. Ac quia quæ protulimus, non nostra sunt, sed Spiritus sancti è scriptura loquentis, & in Ecclesia Domini nostri Iesu Christi spirantibus: Vos in Domino hortamur atque monemus, nè hæc eadem repudietis. Quo ipso cauebitis haud dubiè, nè in istis temporum nostrorum procellis aut in periculosissimos errorum scopulos incidatis, aut pietatem veram cum iustitia atque sanctitate non coniungatis perpetuò, vt ex hac tandem vita in æternam migrare, ac Deo sempiterno æuo quam beatissimè frui possitis. Quod idem vt Deus noster pro sua misericordia largiatur vobis, rogare eum & per sanguinem atque mortem filij ipsius dilecti obtestari non desinimus: Cui sit laus, honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

1220824
00 65200903
The following is a list of the principal cities and towns in the state of
Massachusetts, with their population, area, and distance from Boston.
Boston is the capital and largest city, with a population of about 600,000.
The second largest city is Springfield, with a population of about 200,000.
Worcester is the third largest city, with a population of about 150,000.
Fitchburg is the fourth largest city, with a population of about 100,000.
Lowell is the fifth largest city, with a population of about 80,000.
Lawrence is the sixth largest city, with a population of about 70,000.
Quincy is the seventh largest city, with a population of about 60,000.
Somerville is the eighth largest city, with a population of about 50,000.
Cambridge is the ninth largest city, with a population of about 40,000.
New Bedford is the tenth largest city, with a population of about 30,000.
Providence is the eleventh largest city, with a population of about 25,000.
Fall River is the twelfth largest city, with a population of about 20,000.
Pawtucket is the thirteenth largest city, with a population of about 15,000.
Wellesley is the fourteenth largest city, with a population of about 10,000.
Quincy is the fifteenth largest city, with a population of about 8,000.
Somerville is the sixteenth largest city, with a population of about 7,000.
Cambridge is the seventeenth largest city, with a population of about 6,000.
New Bedford is the eighteenth largest city, with a population of about 5,000.
Providence is the nineteenth largest city, with a population of about 4,000.
Fall River is the twentieth largest city, with a population of about 3,000.
Wellesley is the twenty-first largest city, with a population of about 2,000.
Quincy is the twenty-second largest city, with a population of about 1,500.
Somerville is the twenty-third largest city, with a population of about 1,000.
Cambridge is the twenty-fourth largest city, with a population of about 800.
New Bedford is the twenty-fifth largest city, with a population of about 600.
Providence is the twenty-sixth largest city, with a population of about 500.
Fall River is the twenty-seventh largest city, with a population of about 400.
Wellesley is the twenty-eighth largest city, with a population of about 300.
Quincy is the twenty-ninth largest city, with a population of about 200.
Somerville is the thirty-first largest city, with a population of about 150.
Cambridge is the thirty-second largest city, with a population of about 100.
New Bedford is the thirty-third largest city, with a population of about 80.
Providence is the thirty-fourth largest city, with a population of about 60.
Fall River is the thirty-fifth largest city, with a population of about 50.
Wellesley is the thirty-sixth largest city, with a population of about 40.
Quincy is the thirty-seventh largest city, with a population of about 30.
Somerville is the thirty-eighth largest city, with a population of about 25.
Cambridge is the thirty-ninth largest city, with a population of about 20.
New Bedford is the forty-first largest city, with a population of about 15.
Providence is the forty-second largest city, with a population of about 10.
Fall River is the forty-third largest city, with a population of about 8.
Wellesley is the forty-fourth largest city, with a population of about 6.
Quincy is the forty-fifth largest city, with a population of about 5.
Somerville is the forty-sixth largest city, with a population of about 4.
Cambridge is the forty-seventh largest city, with a population of about 3.
New Bedford is the forty-eighth largest city, with a population of about 2.
Providence is the forty-ninth largest city, with a population of about 1.